MICHAELIS ANGELI CHRYSOLII
DE PRINCIPE
LIBER UNUS.



Principi summum rerum arbitrium Dii dederunt.
Tacit. Ann. L. 6. c. 6.







NEAPOLI MDCCLXXXIII.



APUD VINCENTIUM ORSINI.




Superiorum permissu.



Cara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum.
Virg. Egl. 4.

MARIÆ CAROLINÆ
AUGUSTISSIMÆ
SICILIARUM ET HIERUSALEM REGINÆ

MICHAEL ANGELUS CHRYSOLIUS.



Ene ac sapienter, Serenissima Domina, fuit id in more positum, institutoque Majorum Tuorum, quos æternus colit Annalium honos, ut quos priorum temporum immanitas exiliis puniebat, eos maxime haberent in complexu, Sapientes nimirum, pacis ornamentum præcipuum,

miserisque subsidium temporibus, qui studio, industria, improboque labore publicæ rei commoda obstinate curarent, eos foverent quam maxime, in suamque reciperent Fidem longe tutissimam, iisque minores tamquam in terris Dii, otia facerent ampliora. Ad Majestatis enim culmen evecti, quæ in illis erat animi celsitudo, intellexere, esse se in Terris Supremi Numinis cuncta sospitantis effigiem, lectosque se Administros, qui ipsius Dei vice in regendis hominibus fungerentur; ut publicæ felicitatis instrumenta præcipua, Magnos nempe viros, haberent sibi maxime commendatos, eorumque studium & laborem, & tamquam vigilantes intenderent exactores, & veluti participes sociique relevarent. Felices, quorum studia, & singularis industria non per internuncios, & interpretes, sed ab ipsis Principibus, nec auribus tantum suis, verum probata oculis fuere! Hujusmodi institutum Magno Principe, ad immortalitatem nato dignissimum, maxime commendavit Mariam Theresiam Austriacam, optimam Parentem Tuam, atavis editam Imperatoribus, quæ ubi vera Principis, ubi

ubi sempiterna gloria sita est, probe novit; cujus ingentia in litterariam Rempublicam merita in omnium adhuc hominum ore, animoque versantur. Quem honorem dicendi Magistris? Quantoque in pretio Sapientiæ Doctores habuit? Quis non ejus obitum lacrymis honestavit? Quantis illam encomiis, licet non satis pro merito, litterarum præsertim cultores extulere? Ejus Tu potissimum REGINA Clarissima, optimis incitata exemplis, quæ immortalis Parentis vestigia premens viam ad Olympum virtute affectas, statim faustissimis hymeneis FERDINANDO IV. Borbonio Siciliarum Regi Serenissimo jugata viro, & in Regni, in magnarum scilicet curarum consortium divino munere accita; moris Majorum tenacissima custos nihil antiquius habuisti, quam ut sæculo nostro, ne sterile omnino esset, & effœtum faveres, Pacis artes, hominum generi maxime utiles litterasque tuerere jam labantes, litteratosque potissimum tantoque animi conatu proveheres, ut Auspiciis Tuis quam lætissimis spiritum, & sanguinem, ac patriam propriam sedem recepisse litterarum studia vi-

 dean-

deantur. Verſis jam tum animis ad publicam curam, Te maxime impellente, adjuvante Te, Clementiſsimus Rex noſter, urbis, & ædificiorum magnitudine aucta Civitate, cunctis Domi ad belli, paciſque uſus diſpoſitis, Re militari, Ærario ac Foro recte conſtitutis, Academiam ingenuarum Artium, Opus vere Regium adjuvandis ingeniis excitavit, & ſuo Ære admiranda animi magnitudine Neapolitani nominis gloriam amplificavit; Liberos tandem ſuos iis artibus erudiendos dedit, quibus eorum ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitata beandis Populis paria efficerentur. His, aliiſque plurimis, a quibus recenſendis abſtineo, maximis in litterariam Rempublicam meritis, Libellus hicce *de Principe*, qui Te annuente, auguſtum nomen Tuum inſcribere ſibi audet, Tibi potiſsimum a me, Sereniſsima Domina, debebatur. Quæ enim ad ſolam Majeſtatem utcunque pertinent, ſoli Majeſtati debentur: Regiæque Poteſtatis Propugnatio, cui peropus eſt prævalido Mæcenate, nec meliorem deſiderabat tutelam quam Reginæ Sapientiſsimæ, nec opem poſcebat ſibi potentiorem. Quod ſi vel ar-

argumenti dignitate, non satis impelleris, ut libellum, ea qua soles facilitate excipias, excipe quæso illum munusculi loco, quod offert Tibi novus jam Auctor inter gratulationis officia de proxime superata morbi vi, qui Te in commune periculum urgebat in exitium. Nam cum recentem proximo in partu esses præbitura populis Tuis lœtitiæ occasionem subito, eoque vehementi effusi sanguinis impetu correpta, cum extremum Te jam fere exanguem, exanimemque fatum urgeret; gaudio repente in mærorem verso, acerboque funere jam instante, extingui videbare, publicamque fœdare tranquillitatem. Oh triste discrimen, ipsaque morte indignius, quo grande Neapolitanarum decus rerum, columenque occidere, magnamque secum trahere ruinam parabat! Cum Civitas tota luctu sordida, Proceres, Equites, viri nobiles, ipsaque multitudo subito instantis funeris nuntio perculsa, quantum animo vulnus acceperit, quantum dolori, Tuæ Incolumitati diffisa, indulserit, dici vix potest. Tu autem Serenissima DOMINA, non modo Nestorea vita, sed immortalitate

quoque dignissima, ipsa Te corporis viribus destitutam, vigore animi, metu mortis haud infracta, sustinuisti. Oh animi in ipso mortis discrimine excelsi vigorem, quo numquam immutato, doctissimis peritissimisque Medicis obsecuta, pretiosam vitam, qua Subditis Tuis nihil erat optatius, invita vi morbi retinuisti! Quare omni converso luctu in lœtum cultum, læti redierunt dies, publicique Urbis ludi restituti, & cives universi lœtitia perfusi, Matronæque honestissimæ, præclare secum actum putantes, quod Te viderent a tanto periculo Incolumem, maximas, immortalesque D. O. M. gratias (*) egere, & ipsi Boni omnis Largitori thura largiter dederunt. Inter hujuscemodi, inquam, gratulationis officia, sine, quæso Te, Clementissima DOMINA, ut munusculi loco libellum hunc sistam *de Principe*. Ne Te indignum putes opus hoc qualecumque operisque Auctorem Tua benignitate complecti. Magnis

(*) Cujus facti memoria, ut Posteritati quam remotissimæ commendaretur, collibitum tunc animo fuit, Inscriptione quadam de veterum more eam con-

gnis enim non magna, ne certare cum ipsis videaris, sed vilia decet offerre, quæ magna facere ipsi possint. Libellum hunc, quem argumenti dignitas Tibi valde commendat, non sui, non Auctoris gratia, sed summæ Clementiæ Tuæ munere in fidissimam Tutelam Tuam accipere ne graveris. Supplex Tibi iisdem Plutarchi verbis, quibus Apophthegmata Trajano Cæsari dicavit, orationem hanc concludam: *Artaxerses*, inquit, *Persarum Rex*, *Trajane Cæsar Imperator maxime*, *existimans* non minus Regiam Majestatem decere, & Humanitatem parva beni-

condere, ne umquam, in æterna rerum apud homines fama, intercideret. Ea vero est hujusmodi.

Indictis Sacris sollemnibus in Ædibus S. Severini.

D. O. M.
PRO . IMPETRATA . SALVTE
MARIÆ . CAROLINÆ . AVSTRIACÆ
QVOD . PER . EAM
VTRIVSQVE . SICILIÆ . REGNVM
IN . AMPLIORI . ATQVE . TRANQVILLIORI
STATV . EST
PATRICII . POPVLVSQVE . NEAPOLITAN.
COMMVNI . CONSENSV
VOTVM . SOLVVNT.

benigne, alacriterque accipere, quam magna largiri, cum sibi iter facienti operarius quidam, ac plebejus homo utraque manu haustam e profluente aquam, quia nihil habebat aliud, obtulisset, hilari vultu accepit, munus non usu rei oblatæ, sed studio dantis metiens. Et Lycurgus minimi sumptus sacrificia Spartæ constituit, ut Deos immortales honorandi semper in promptu esset copia. Eo consilio ipse quoque tenue Tibi munus, ac strenas, & primitias Philosophiæ communes cum offeram, Auctoris juxta studium, & Commentarii utilitatem ut probes rogo.

Datum Neapoli Idibus Septembris An. MDCCLXXXIII.

MONITUM
LECTORI.

P*Rope jam erat, ut is liber publicam viseret lucem, cum Augustissimus (quem Deus vere sospitet) Rex noster Regiæ Jurisdictionis Delegato extra ordinem mandavit, ut libro attente perlecto consuleret, utrum Reipublicæ Principisve pervulgari interesset. Regio audiens præcepto Delegatus (Turiti nempe Dux clarissimus) eo, quo hisce in rebus perpendendis pollet, acrique uti solet judicio, librum perlegit, Regique auctor fuit, ut quanto ocius publica luce sineret uti frui. Quæ quidem consultatio anxios ne fugiat lectores, simulque grave, quo usus est Delegati pateat supercilium, non abs re erit eam hic* κατὰ πόδα *apponere.*

S.R.M.

S. R. M.

SIGNORE.

ESsendosi degnata V. M. di rimettermi l'Opera intitolata *De Principe*, *sive De Ortu & Progressu Regiæ Potestatis*, si è compiaciuta comandarmi con Regal Carta degli 11. Ottobre del corrente anno, che io la rivegga, e quindi informi col parere con dire nel tempo stesso in ispecialità se si possa pubblicare colle stampe. Adempiendo il Regal comando, ho l'onore di far presente a V. M. che l'anzidetta Opera è stata da me letta, e ponderata, e mi par degna del comun plauso per più riguardi, e massimamente per lo particolar zelo dell' Autore verso il Sovrano, per lo intrinseco merito dell' Opera istessa, e per li molti pregi de' quali si vede adorna, e che possono renderla al Pubblico accettevole, e grata: e perciò la stimo degna di esser pubblicata colle stampe. Ma siccome il degno, e conosciuto Autore del sopracennato libro intitolato *De Principe*, *sive de Ortu &*

Pro-

Progressu Regiæ Potestatis, ebbe intendimento di ragionare dell' origine della Regal Podestà; così divisata la contesa, che si agitò negli andati tempi intorno a tale argomento, egli si risolse di ripetere la Regia Sovranità da Dio, non per la via seguitata dall' Ornio, e dall' Arcivescovo Pietro de Marca, ma in una nuova maniera, che siccome non è ripugnante alla pubblica ragione, così dee riputarsi conforme alla Sacra Scrittura, alla voce della Chiesa, al consenso de' Padri, e all' avviso de' migliori Teologi e Canonisti. E poichè il libro verrebbe a pubblicarsi dopo una disamina fatta per Sovrano comandamento, dove la M. V. si compiaccia darne il permesso, egli conviene, che si facciano tre correzioni, o siano spieghe, la prima nel Titolo, la seconda nella pag. 8. e la terza nella pag. 251. infine. Il Titolo *De Principe, sive de Ortu & Progressu Regiæ Potestatis*, potrebbe dimostrare, che la Regal Podestà nel suo nascimento fu piccola, e che nel progresso di tempo, secondo che si stabilì in potenza, acquistò quella grandezza, che da principio non avea. Quindi

di farebbe luogo a congetturare, che la Regia Podestà non nacque da Dio fornita di tutte quelle parti, che il Pubblico Dritto le ascrive, ma che le tolse dal Popolo per violenza. Adunque fa di mestieri, che ritenendosi il titolo *De Principe*, si sopprimano le seguenti parole, *De Ortu & progressu Regiæ Potestatis*. Nella pag. 8. esponendosi la contesa, che riguarda l'origine della Regia Podestà si dice: *In eam duram inciderunt quæstionem, quæ magnis animorum motibus tractata olim a multis, dubia adhuc, aut ego fallor, incertaque manet, sit nempe Regia Potestas ἀμέσως a Deo, an vero a Populo, ita ut Reges plenum Imperii sui beneficium non Deo tantum, sed Populo acceptum ferre debeant?* Se i migliori Scrittori di Pubblico Dritto, e i più sapienti Teologi non dubitano, che l'unico Autore della Regia Podestà sia Iddio, perche la Ragione, la Scrittura, e la Chiesa così insegnano, non debbono lasciarsi le parole: *dubia adhuc incertaque manet*, se non si soggiunga, *apud Monarcomachos*, o pure, *apud Regiæ Potestatis hostes*. Nella pag. 251. si leg-

legge : *Summæ Regiæque Poteſtatis eſt , fidem Diſciplinamque tueri &c.* Il Principe è difenditore della Fede, ma è Direttore, e Moderatore del buon ordine nella Chieſa, e della Diſciplina. Adunque ſtà ben dirſi, *Regiæque Poteſtatis eſt Fidem tueri* ; ma biſogna aggiungere, *Diſciplinamque dirigere, vel regere, vel moderari.* Queſto è, S. R. M., il giudizio, che ne ho formato, leggendo il detto libro, e che eccita in me il deſiderio di vederlo preſtamente recato a termine in tutta la eſtenſione dell' idea formatasene, e propoſtane dall' Autore. E con tutto il riſpetto maggiore &c. Di V. M. a 6. Dicembre 1783. Il Duca di Toritto.

Cui Conſultationi ſtatim benigniſſimus Rex adnuere non eſt dedignatus.

S.R.M.

S. R. M.

Signore

VIncenzo Orsino pubblico Stampatore di questa Vostra Fedelissima Città, supplicando espone alla M. V., che desidera dare alle stampe un libro intitolato: *De Principe &c. Auctore Michaelangelo Chrysolio*. Percio spera dalla clemenza di V. Maestà, che glie si assegni un Revisore, chi meglio stimerà, e l' avrà a grazia quam Deus &c.

U. J. D. D. Marinus Guaranus in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat Autographum enunciati Operis, cui se subscribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum; & in scriptis referat. Datum Neap. die 15. *mensis Maji* 1783.

I. AR. SALERNITANUS C. M.

S. R. M.

ARgumentum discors sententiis, opinum jurgiis pertractandum suscepit Michael Angelus Chrysolius in libro, cui titulus : *De Principe, sive de ortu, & progressu Regiæ potestatis*. In eo, Domine, nil ego deprehendi, quod aut Christianorum fidei, & moribus, aut Majestatis juribus adversetur. Quin, cum in opere suo diligentissimus Auctor eo omnia ferme collineet, ut reverentiam adversus Principes animis lectorum instillet, cito evulgandum censeo, modo Majestatis Tuæ assensus accesserit. Neapoli pridie idus Septembris A.D. MDCCLXXXIII.

Majestatis Tuæ

Humillimus devotissimus S.
Marinus Guaranus.

Die 19. Decembris 1783. Neap.

Viso Rescripto S. R. M. sub die 13. currentis mensis, & anni, ac relatione U. J. D. Marini Guarano, de commissione Rev. Reg. Cappellani Majoris ordine præfatæ Reg. Maj.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris, ac servata forma supradicti Realis Rescripti, cum conditionibus tamen in eo contentis, & expressis; cujus copia hic inseritur; Verum non publicetur, nisi opus enunciatum revideatur a circumspecto a Secretis dictæ Realis Cameræ; an editio fiat servata forma supradicti Realis Rescripti, nec non in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum.

PATRITIUS AVENA
CARAVITA TARGIANNI
VIDIT FISCUS REG. COR.

Illustris Marchio Citus P. S.R.C., temp. subscrip. imp., & Ill. Marchio Salomone non interf.

Reg. Carulli Athanasius.

Co-

Avendo lo Stampatore Vincenzo Orſini ſupplicato il Re di potere ſtampare un Opera intitolata : *De Principe , ſive de ortu , & progreſſu Regiæ Poteſtatis* , S. M. inerendo al ſentimento del Cappellan Maggiore , che ha rimeſſo l' approvazione del Regio Reviſore , ſi è degnata di permettere l'edizione di tal libro con la ſolita condizione, che prima di pubblicarſi ſe ne debba ottenere il *concordat* di proprio carattere del Reviſore medeſimo , e ſi debbano oſſervare gli altri ordini generali in materia di ſtampe . Aggiunge S. M. tre altre condizioni , la prima , che il libro ſi debba intitolare aſſolutamente *De Principe* ſenza altr' aggiunzione . La ſeconda , che nella pagina ottava , in cui ſi eſpone la conteſa dell' origine della Regia Poteſtà, ſcrivendoſi, *in eam durum inciderunt quæſtionem , quæ magnis animorum motibus tractata olim a multis, dubia adhuc , aut ego fallor , incertaque manet ; ſit nempe Regia Poteſtas* αμεσως *a Deo , an vero a populo , ita ut Reges plenum Imperii ſui*

 be-

beneficium , *non Deo tantum* , *sed Populo acceptum ferre debeant* ; Vuole S. M., che dopo la parola *dubia adhuc* ; *incertaque manet* , si debba soggiungere *apud Monarchomachos*, ovvero *apud Regiæ potestatis hostes*. La terza, che nella pagina 251. leggendosi , *summæ Regiæque potestatis est fidem* , *disciplinamque tueri* , si debba dire, *Regiæque potestatis est fidem tueri* , *disciplinamque dirigere* , *vel regere* , *vel moderari* . Perciò di Real Ordine lo partecipo alla Real Camera, con rimetterle l'approvazione del Regio Revisore , affinchè prenda cura dell'esecuzione delle notate condizioni , e quindi proceda al solito decreto per la publicazione dell'Opera. Palazzo 13. Decembre 1783. Carlo de Marco . Sig. D. Giacinto Dragonetti .

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE

Vincenzo Orſino pubblico Stampatore di queſta Fedeliſſima Città di Napoli, con umili ſuppliche eſpone all' Em. Voſtra, come dovendo ſtampare un Libro intitolato: *De Principe &c. Auctore Michaelangelo Cryſolio*. Deſidera perciò che l' Em. V. ſi compiaccia aſſegnarli un Reviſore; e lo ſpera a grazia, quam Deus.

Admodum Rev. Dom. D. Franciſcus Roſſi S. Th. Profeſſor, revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. Idibus Auguſti 1783.

PUCCI V. G.
Joſeph Roſſi Can. Dep.

EMINENTISSIME DOMINE

JUssu tuo legi libellum, cui titulus *De Principe &c.* a Michaelangelo Chrysolio sat eleganter conscriptum. In eo vir Cl. spinosissimas juris publici tractationes ad legum explorata principia non indiligenter revocavit, & impeditissimum negotium tam apta methodo, tantaque eruditione expedivit, ut summis plerisque viris palmam præripuisse videatur. Opus hoc nulla sui parte aut Orthodoxa Fidei dogmata, aut bonos mores attentat. Neapoli Idibus Septembris an. 1783.

Eminentiæ Tuæ

Addictissimus, & Obsequentissimus F. Franciscus Rossi.

Attenta Relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum Neapoli 14. *mensis Novembris* 1783.

PUCCI V. G.
Joseph Rossi Can. Dep.

IN-

INDEX CAPITUM

Er-

ERRATA	CORRIGE
pag. 55. dupplicando	Deprecando
51. ad Julian. ot.ra	Ad Julian. orat.
104. Regium	Regum .
106. Quid Deus homini quid præstet.	Deus homini quid præstet.
115. Congrui	Congruit.
138. Sarthis	Parthis .
ibid. Βεσαιοῦντες	Βεβαιουντες
128. πολιταν	πολιτιαν
186. επαταζεν	επαταξεν
190. απρωτοπο	απρωσωποι
190. æque	æquo .
230. hominum	hominem
242. *Regis*	Reges
ib. Coria singulis	*Coria : singulis*
250. Sacrocrum	Sacrorum
Sæpe Puffendorf.	Pufendorf.

Cætera suppleat Lectoris humanitas.

DE

LECTORIBUS

NE *quam fortasse mihi creet invidiam, quem e scriniis meis elabi nunc patior Libellum; juvat me nunc paucis in vestram, humanissimi Lectores, revocare memoriam, quod memoriæ prodidit Gramondus* (1). *Habitis nempe apud Gallos universi Cleri Comitiis; eidem postea Clero hanc fuisse propositam quæstionem*: Reges auctoritatem suam omnem immediate a Deo haberent, nec ne? *Plerisque visum, Galliæ salutem inde minime pendere, adeoque hujusce quæstionis discussionem Scholis permittendam. Quod præter Gramondum ipse Thomasius testatur* (2). *Id unum vos monitos, Lectores, volui, ut sciatis, me nullo amore, aut odio impulsum,*

 quo-

(1) Gram. Hist. Franc. Lib. I.

(2) Thomas. Jurisp. Div. Lib. III. cap. VI. §. 68. & seq.

quorum caussas procul habeo, hujusmodi quaestionem pertractandam suscepisse; at potius, ut philosophandi genio nonnihil concederem: philosophandum enim paucis equidem quoque censeo, ut Neoptolemus olim apud Ennium; nam omnino haud placeret (3). *Id autem propterea Politicis de rebus philosophandum mihi tantisper e re mea potius esse censui; quod jampridem in eorum pedibus ivi sententiam, qui credunt* Naturæ peplum *detegi ab hominibus numquam posse: Contra vero, quemquam, dummodo in rerum humanarum historia mediocriter sit versatus, posse de rebus humanis, cum & ipse homo sit, clarius certiusque differere. Quum autem & idem negotii sibi quamplures etiam dederint, ac e nostratibus præsertim clarissimus Jovianus Pontanus libellum solito pretiosiorem* De Principe *ad Alphonsum Calabriæ Du-*

(3) Vid. Cicer. Lib. II. quæst. Tufcul. Cap. I.


Ducem inscripserit; non abs re erit, imperitiores (quibus plerumque præfantur scribentes) admonere ; Jovianum , uti & Nicolaum Macchiavellium, Virtutes *potius Principis* , *quam* poteſtatem *perſecutos : paucis , cum Scholæ inquam philoſophis , Principem* moraliter *potius*, *quam* phyſice, *ſive* κατ' ϋπαν, *conſideraſſe . Quod monuiſſe oportebat, ne eadem inſcriptione ſe falli facile ſinerent, ac ne prima fronte triſtis huic libello inutilitatis nota a ſciolis inureretur. Quem, quò utilior evadat, duo alii, ſecundum eam methodum, quam inferius* (1) *vobis ſiſtam, ſequentur. Ii vero ita ſunt facti, ut quiſque per ſe ſubſiſtat; licet omnes ad Principem, Regiæque Poteſtatis progreſſum pertineant. Genuinam habebitis hujuſce prioris libelli ſcribendi cauſſam, & occaſionem in capite, quod in una vel altera ad ſummum ejuſdem libri pagella, vobis ſe primum offeret.*

A 2

(1) Cap. II. §. VI.

feret. Nihil est itaque, quod præfari magis magisque oporteat, vobisque, de more scribentium, pluribus præfando, caput obtundere. Si quid autem est, quod restat: æquanimitas vestra scribentis adaugeat industriam. Valete.

DE



DE PRINCIPE

CAP. I.

Scribendi occasio. Libello materies comparatur. Clariss. P. De Marca sententia de Summa Principum Potestate perpenditur. In qua excipienda temperamentum adhibetur.

§. I.

AUtumnales modo Feriæ (1) intentissimam litterarum studiorumque curam relaxaverant; cum animi, ab assidua eaque duriuscula Canonum Legumque ci-

(1) Statas autem Autumnales Ferias cum clarissimo Marchione Regioque Consiliario Josepho Mauri, ca-

Civilium lectione solito demissioris, recipiendi ac oblectandi simul caussa, nonnihil interdum legere, remissius tamen, mihi proposui, quod amœnitate quadam ac elegantia apprime conditum, omnino mihi ad palatum foret. Senseram enim ipse, difficilioris lectionis exeuntis anni curriculo perpetuo institutæ, animum prope jam obsaturatum, quidlibet statim fastidire, quod per se mihi non saperet, neque eleganter foret egregieque factum ad fastidium depellendum, simulque animum postea consuetis lectionibus revocandum. Non enim, quamvis feriatus, dies noctesque omnino stertere animus erat: at jucundiori lectio-

cujus mellita diu fruor consuetudine, *Pulvicæ*, oppidi ab Urbe non longe dissiti, celebrabam. Eas vero, quo jucundiores evaderent, gratissima juvabat clarissimi P. Elisæi consuetudo, qui nobiscum, una cum pluribus candidioribus animis, quos, ne longior sim, non nomino, rusticabatur. Vix autem temperare mihi possum, quin reminiscar hic clarissimum Franciscum De Alitto, virum singularem, hominemque antiqua sane fide ac virtute insignem; qui, dulcissimus rerum, ferias nobis reddebat quam jucundissimas. Quam vellem, feriis in orbem redeuntibus, cum iisdem singularibus viris, feriatum iterum a studiis, otio tantisper indulgere! Quod si fiet, Diis vitam, eorumque proprias voluptates, ut vetus ait verbum, non invidebo.

ctioni tempus operamque ab animi relaxatione ſubſecivam impendere. Quid namque gravius accidere umquam poterit τῷ φιλομαθεῖ, homini nempe diſcendi cupido, ac ſapientiæ ſtudioſo, quam otioſum animo vel diem unum marceſcere, ac ſiderari? Quamobrem non omiſſis crepundiis, quæ pomifer non minus, quam nugiger Autumnus hiſce in Regionibus abunde fert, quibuſque cum amicis candidioribus, virilitati jam proximus, repueraſcere mihi aliquando videbar; manum interea, cum vacivi aliquid temporis a nugis mihi ſupereſſet, paucis libellis meis, qui dominum brevi ruſticantem ſecuti jucundiores fuerant, admovebam volutandis, pro ut quiſque forte fortuna ſe mihi offerret; ut queis bellum hoc tempore indixeram, in gratiam cum iis hoc veluti pacto redirem. Perpetuæ namque lectioni tunc temporis vacare in votis haud erat: ſed tantum propero oculorum intuitu unum & item alterum feſtivum elegantioremque libellum legendo percurrere; ac ſi quis in manus incideret induſtria fortaſſe elaboratior, cujuſque capitis ſummam perlegere, lectioneſque animo

 re-

retentas, aliis aliisque cogitationibus intermissas, in memoriam revocare.

§. II. Reliquos inter libellos, Poëtas præsertim ac Historicos, quibus legendis nullus mihi dies vacuus excidit; (ad linguam enim formandam apprime factos censeo); duo rerum non minus quam styli præstantia florentes, elaboratiores mecum libri rusticabantur, celeberrimi *Hugonis Grotii* clarissimique viri *Petri de Marca*: quorum ille *de Bello ac Pace* tam alte, hic vero *De Sacerdotio & Imperio* tam apte congruenterque scribunt. Et hosce quoque libros latino sermone scriptos elegantissimo, ac succipleno (furtim quandoque liceret ab institutis ludis, socios fallendo, in cubiculum me recipere) sine fastidio iterum iterumque volutare haud mihi temperabam.

§. III. Forte alterum evolventis opus festinantes oculi, in eam duram inciderunt quæstionem, quæ magnis animorum motibus tractata olim a multis (1), convenit etiam nunc, ut, gliscente in diem recentium Monarchomachorum adversus Principes invidia, studio non minori tractetur; sit nempe *Regia Potestas* αμέσως *a Deo*, *an vero a Populo*, *ita ut Reges* plo-

(1) Heic antea scripseram, *dubia adhuc* &c.

plenum imperii sui beneficium non Deo tantum, sed Populo acceptum ferre debeant? (1) Neque satis modo habui quæstionis summam in summo Capitis vertice prælibasse tantum; at insuper, legendi quadam intemperantia abreptus, vix me continui, quin tanti viri sententiam, qui se tandem haberet, quam attente pensarem. Procul dubio hominis ingenium obstupui, qui paucis, iisque bene compositis ea se opinione extricavit, quæ quamplurimorum animos implicaverat olim; quique fortis asseruit, Principatum politicum a Deo per insitam naturæ legem manasse quidem, sed non ita ut Populi quidem suffragiis in Reges postea conferatur. Quæ quidem sententia tanti viri auctoritate suffulta, valde sane mihi arrisit, homini nempe quam pio ac devoto Regum cultori. Jampridem enim refugerat animus in eorum ire sententiam, qui omnium impudentissimi, unicuique Regum Potestatem Regiam a divino Numine conferri negarunt. Quippe non ignorabam eam sententiam, pro qua olim alia

(1) Hanc quæstionem attingit *De Marca Lib. II. De Conc. Sac. & Imp.* §. *I. & II.*

alia de caussa acriter, at dubio Marte (1) pugnatum; Regum libertatem nonnihil imminuere, violare dignitatem, fovere factiones, quo serius ocyus erumpant, ac in ipsa tandem ipsius summi Numinis peccare testimonia, quibus clare conficitur (2), a Deo singulis adscribi Principibus Imperium. Illa, inquam, sententia, homini, qui virtutem jampridem (numquid etiam gloriam?) in obsequio posuerat, haud poterat se non probare.

§. IV. At dum magis magisque cogito, ita uti fit, ubi mens aliquo agitata consilio, magis magisque incalescit, atque rem aliam ex alia puto; aliquid continuo in mentem venit, in quo jure meritoque clarissimi *P. De Marca* non minus, quam *Hornii*, cæterorumque illustrium virorum, culpari sententia posset. Juvabat interea quod putabam, rusticationis jucunditas, otiumque litterarium solito minus negotiosum. Quare non solum, uti dixi, inter nugas, cum per tempus, ac Sociorum negligentiam, furtim liceret; sed etiam per vias, cum insti-

(1) **Inter Ludovicum Bavarum, & Pontificem.** Vide Goldastum *De Monarch. Imp.*

(2) Paul. ad Rom. XIII. Sap. *6.*

ſtitutas ad animum recipiendum deambulationes pergerem, plura egomet mecum, iter fallens, aliosque ex aliis appetens apricos colles, adverſus illorum ſententiam conjicere. Quæ quidem conjecturæ non eò profecto vergere, ut aut Sancta Principum Numina nefando impeterem flagitio, quæ ſupplex adoraverim; aut ſanctam eorum auctoritatem ſarctam tectam ab omni ſubjectione minime tuerer: at verba ſpectabant illa præcipue *immediate*, *ac mediate*; quæ non recte ex Philoſophorum mente, pergravi huic quæſtioni aptari ſentiebam.

§. V. Habent nempe philoſophorum Diſciplinæ ab ipſis vocabula, ut vetus ait Comædia (1), quibus non alia licet ſub poteſtate uti, quam ea, quæ inventoribus primum arriſit. Quid autem illud eſt, niſi fallor, quod ultro concedit ſuperius adducto loco *P. de Marca*, ceterique omnes *Hornium* ſecuti, Regum nempe perſonam, vel ſuffragiis Populorum *ſpecialiter eligi*, *vel generaliter* translato regnandi Jure hereditario in aliquam generoſam ſtirpem, natalium ſorte in regium culmen aſſurgere; ac deinde im-

(1) Terent. Eunuch. Act. II. Sc. II. licet alio collineet.

immediate a divino Numine summam Regum Potestatem repetere: quid, inquam, illud est, nisi me animus fallit, quam pessume vocabulis abuti, ac *immediate* a Deo Summum Imperium repetere, quod Deus sine dubio ipsismet fatentibus, qui Summæ Potestati favent, per suffragiorum sortitionem, ac per eligentium vota, tamquam per *medium* maxime opportunum, Regibus elargitur? Vidit rei difficultatem Boëhmerus (1), qui aperte scribit, Dogma, quod Majestas *immediate* a Deo sit, dubiis non carere. Non itaque *immediate*, sed *mediate* per Populum Regibus Deus confert Imperium.

§. VI. Quod quomodo accipiendum sit, ne Regia Potestas aliquo pacto imminuatur, ac Princeps αὐτοκράτης καὶ ἀνυπεύθυνος statuatur, uti Plutarchus de Rege Persarum loquitur (2); sincere inferius, sine cavillationum fraudibus, sophismatumque involucris, nova quadam methodo, quam frustra in aliorum libris quæsieris, osten-

(1) Observat. III. ad Lib. II. Cap. II. *De Concord. Sac. & Imp.* Ipse autem cl. Ever. Otto, *Petrum de Marca* frustra, inquit, ad pietatis prætextum confugisse. Vid. Not. ad §. XIV. Lib. II. Cap. VI. Sam. Puff. *De Offic. Hom. & Civ.*

(2) Plut. De trib. gen. Rerump. p. 326.

ostendam. En pura putaque scribendi occasio. Quæ quidem eô acrius mihi suasit, ut calamum arriperem, scriptisque mandarem, quæ hac de re rusticando olim cogitaveram; quod nuper sensi, perfunctorie nonnullos momentosam hanc tractasse quæstionem: vel enim eamdem trivere viam, quam veteres tenuere; vel ad fastidium usque multas veterum congesserunt auctoritates, quibus constat *generatim* esse auctores locutos. Et mihi etiam antiquiorum auctorum valde sese sententiæ probabunt; verum numquam iis utar, nisi perspicue faciant ad propositum. Age itaque quod ad methodum in diverticulo tantisper consistamus! A via porro, quod pertinet ad rem ipsam, pervulgata longius abire, & opellæ, quam statui lex, & ipse vetat pudor.

CAP.

CAP. II.

Rei difficultas. Hornius, Boëclerus, Strauchius, Bosius, Granswinkelius, Zieglerus, Osiander, Dupinus, ac ipse de Marca nimiæ assentationis accusantur. Contra hæc Buchananus, Stephanus Junius Brutus, Io: Milton, Raynallius impietatis nimiæ. Auctoris sententia proponitur, methodusque, quam sequitur.

§.I. EST igitur ad hunc, quem dixi, modum, disceptatio mihi isthæc instituta, & a tali quodam levi exordio inducta. Oportet nunc, quando res ita tulit, ut omnes nervos illuc intendam, ac oratione tantæ disceptationi non impari, rem ipsam pro virili exequar. Nolim ego in alterutrum scopulum evitatu quidem difficillimum illidere, in quem tot illustres viri, quibus non sum profecto neque ingenii acumine, neque eruditione comparandus, misere admodum fregere. Assentatio nimirum non minus ex hujusmodi disputatione timenda unicuique philosophantium est, qua nihil Philosopho indignius; quam effrænis de Summa Potestate judicandi licentia, quæ privato homini non congruit. Quam igitur methodum ingrediar, ne, cum sim in eadem navi,

vi, eodem forte cum cæteris naufragio peream? Assentationi nempe haud serviam, ne alioquin projectæ, scribentis æque ac servientis, patientiæ, Reges ipsos, ut Tiberium olim, pertædeat. At neque de Summa Potestate pro lubidine judicaverim. *Hornio*, cæterisque, ipsi etiam clarissimo *Boëclero* (1) propriam hanc gnatonicæ adulationis labem; *Georgio* autem *Buchanano Stephano Junio Bruto, Johannique Milton, Raynallio* tandem, fatuæ impietatis adversus Principes notam rectissime inusseris (2). Rationi equidem dumtaxat, non amori aut odio,

(1) Vide Hornium *de Civitate*; & Bœclerum *De Auspicio Regio*, Dissert. Acad. Vol. 1. & Thomam *Creech* in notis Anglicis ad versionem Lucretii, quæ prodiit 1683 Adde Granswinkel.

(2) Clarissimus G. Buchan. Dialogum scripsit *de Jure Regni apud Scotos*; quo vulgi & subditorum jura adversus Principes enixe asseruit. Cujus tamen scripti serio Buch. pœnituit. Vid. Zieglerum ad Grot. Lib. I. Cap. III. in notis ad illa verba, *quis te corripiet &c.* Stephanus Junius Brutus *Vindicias* secundum libertatem scripsit *contra Tyrannos.* Conf. Petr. Bayle *Dissert Concernant le Livre d' Etienne Junius Brutus, imprime l' an.* 1579. *dans le Dictionaire Historiq. & Critiq. Tom. quatriem. in fol. a Leide* 1730. Celebris quoque est *Defensio Joh. Milton* pro Populo Anglicano, qui per summum nefas Regem obtruncaverat; adversus *Defensionem Regiam* Cl. Salmasii *Pro Carolo I. Raynallius* tandem pluribus in locis sui operis, cui titulum inscripsit: *Histoire Philosophique & Politique des etablissemens*

odio, pessimis agendi judicandique auctoribus; rationi, inquam, Gentiumque cultiorum consensui, doctiorum hominum sententiis, pietati potissimum debitisque adversus

sus

mens & du commerce des Europees dans les deux Indes Par *Guillaume-Thomas Raynal. Geneve* 1780. veluti aliud agens, Summam Principum potestatem impetere sibi non temperat. Ita Tom. IV. in 4. p. 275. & in 8. Tom. IX. p. 21. Pensilvaniæ prosperitatem graphice describens, ait; Gentes tandem omnes sibi persuasisse, quod felicitatem in Terris homines facile consequantur, etiamsi nullus sit Principibus honos, nullus Sacerdotibus. Homo, ibidem scribit, justus ac liber, Deum dumtaxat colat, qui sit unus omnium sibi mutuo æqualium Pater, tutorque legum, quæ publicam tueri queant tranquillitatem. Alibi autem, ut Tom. IV. in 4. p. 646. & in 8. T. X. p 362. aperte scribit, neminem alicui præstare, vel pluribus ex Dei ordinatione, at ex electione sive ex consensu. Item Tom. III. in 4. p. 26. & in 8. T. V. p. 233., scribit maxime suisse Caraibes in admirationem raptos, cum vidissent Europæos Principibus sibi natura æqualibus parere. Qui quidem imperantium ac parentium justus ordo ita repugnare ipsis visus est, ut pro vere mancipiis habuerint, qui adeo inertes essent sibique degeneres, ut alterius hominis jussa facile exciperent, facileque deinde exequerentur. Clarius autem Tom. IV. in 4. p. 116. & in 8. Tom. VIII. p. 223. eos irridet, qui sentiunt, Reges omnem suam Potestatem a Deo accepisse. Quam sententiam Religionis custodibus ac uni assentationi servientium ingeniorum, per summam fraudem tribuit. Eamdem deinde sententiam catenæ comparat ferreæ, quæ unius sæpe dominatio-

tio-

ſus Principes officiis, auſcultabo. Pervideo rem difficilem. Facilia vero incœptu, exitu facilia, laudem vix ullam merentur. Faxit Deus, res voto reſpondeat!

§. II. Ne me autem implicatæ hujuſmodi quæſtione, quam ultro inſtitui, forte implicem, in anteceſſum ajo, non decere magna ingenia putare, in verbis illis αμεσως ac *mediate*, totius rei cardinem verti. Satis enim eſt, quod clariſ-

B ſimi

tioni integram Gentem contra omne Jus devincit. Cur quæerit alibi, Tom. IV. in 4. p. 118. & in 8. Tom. VIII. p. 226, aliud Principes ſibi præſidii poſtulant validius; neque ſummam auctoritatem hominibus potius, quam Deo acceptam ferunt? Cum omnes a Populo obſequii ac reverentiæ percipiantur fructus, quidni uni Populo omnia ſummæ Poteſtatis jura ſe debere profiteantur? Quid? Sacra profanis miſceri oporteat, Deuſque auctor rei fiat, quæ ab hominibus facile derivabitur? Quæ ſæculorum infelicium tribuit rubigini, ac Religioni, quæ tunc temporis tantum ſuadere potuit malorum. Demum Tom. I. in 4. p. 118. & in 8. T. I. p. 232. ſcribit, facile unumquemque populum in eam animi dejectionem ruere, a qua numquam ſurget, ſi Principi ac Domino Patris nomen tribuatur . . . . . Quidnam, quæſo, apud omnes Gentes ab inducta hujuſmodi civili dominatione, factum eſt? Populus nimirum fractus, dejectus, omnibus valedixit virtutibus, quæ extinctæ deinceps apud eumdem jacuere. Quae Raynallj ſententiæ, nemo non videt, quam facile ſeditionibus locum præbeant. Legatur Cenſura, quam Facultas Theologiæ Pariſienſis hujuſmodi propoſi-

poſi-

ſimi quamplures præſtiterunt viri, Summam Principum Poteſtatem a Deo repetere, neque magni poſtea facere, an illa a Deo *immediate* ſit, an *mediate*. Quod Clerus olim præſtitit Gallicanus. Fuit iſte veteris Scholæ genius, qui adhuc nonnullos ejus alumnos gubernat, moſtroſis quibuſdam vocibus, cavillationumque fraudibus, rebus alioquin clariſsimis tenebras obducere. Verum, quoniam inde tractatio iſthæc *de Principe* inſtituta mihi eſt: paucis modo aſſerere non dubito, Poteſtatem Summam, qua Principes pollent, non ἀμέσως a Deo manare, at *primario*; a Populo autem ἀμέσως, at *ſecundario*. Id, inquam, modo aſſeram, quod pluribus infra ſum poſtea oſtenſurus; dummodo Summa Poteſtas *in concreto*, ut Scholæ loquuntur, ſive prout eſt in uno & item altero Rege, intelligatur: *in abſtracto* enim verum eſt, quod ἀμέσως, ſive *immediate* a Deo ſit, ſicut & omnes aliæ Poteſtates, quæ ſummæ Poteſtatis Dei ſunt profecto *participationes*, ut Scholæ eædem loquuntur. Quamobrem, cum multum inter duas haſce enunciationes interſit,

poſitionibus inuſſit Art. IV. De Summo Regimine. Tit. I. De Summæ Poteſtatis origine. Prop. 68. & 69. 70. 71. 72. 73. & 74.

sit, *caussam* nempe *immediatam*, & *immediatum constituendi modum*: dehinc porro fit, ut affirmem, omnis Potestatis, non solùm Summæ, *caussam in abstracto immediatam* esse Deum; Summæ vero Potestatis Civilis *in concreto*, cum illa a Deo constituatur, *immediate* per *electionem* Populi, caussam *proximam & immediatam* esse Populum. Nihil enim Deus per se *ad extra*, ut Scholæ inquiunt Theologi, servato sanctissimo & immutabili Naturæ ordine, nisi per *caussas secundas immediatas*, easque non *remotas*, sed *proximas*, efficere potest.

§. III. Electio autem, a qua Summa Potestas *immediate* pendet, nihil præterea est, nostra quidem sententia, quam *immediatus* Regiæ Potestatis constituendæ *modus*. Ab ea vero Summa Potestas non pendet, neque Jus inde summum Principes sibi comparant; at est veluti meatus nescio quis, per quem a genuino fonte Summa Regum, Imperantiumque Potestas, tamquam perennis rivulus, derivatur. Cum autem sollemnis Populi electio, actio sit corporis haud sane *mechanici*, sed *moralis* videntis, ope rectæ rationis, Summæ Potestatis ordinationem a Deo: fieri hinc

non poteſt, quin, quem Populus eligit ex voluntate ac juſſione Dei, ipſe non probet; adeoque probando per conſentientem vocem, (ex cœco magis animi impetu, quam ex conſilio (1) erumpentem), ſive per electionem, quod Deus *antecedenter* juſſit ad Civitatem tutandam augendamque, conferre nonnihil in Summa Poteſtate Principibus tribuenda videtur. Quamobrem, ſi Summa Poteſtas a Populo *immediate* ac *ſecundario* pendet; tum quod Deus naturæ ordinator juſtiſſimus, Populi electionem, *proximum* ſummæ Poteſtatis conſtituendæ *modum*, eumque *immediatum*, conſtituerit; tum quod Populus, Dei imperium talia hujuſmodi publico bono jubentis exequendo, ratum nomen imperiumque (conſequenter nempe) Regibus facit: Summa, inquam, Poteſtas nullo pacto dici poterit, a Populo vim rei com-

(1) Ad rem Plinius inconſultam hanc vocem, quam prædico, memorat in Trajani electione: *Tibi*, inquit, *aſcendenti de more Capitolium, quamquam non id agentium Civium clamor, ut jam Principi occurrit. Siquidem omnis turba, quæ limen inſederat, ad ingreſſum tuúm foribus recluſis, illa jam quidem ut tunc arbitrabatur Deum; cæterum ut docuit eventus, te conſalutavit Imperatorem; nec aliter a cunctis omen acceptum eſt*. Plin. Panegyr. in Trajan. Pag. 206. edit. in 8. Lugd. apud Seb. Gryph. 1547.

communis tutandæ, augendæ, amplificandæque accipere, nisi *secundario*, quatenus nempe Populus per *consequentiam* probationis Summæ Potestati jam constitutæ sese voluntate dedit regendum tutandumque. Paucis: quod jus Populum cogit, idem porro Populus voluntate exequitur. Quare Jus Populi *electionem* antevertit. Hic autem oppido erroris Grotius (1) accusatur, qui aperte scribit, id propterea Summam Potestatem Civilem, *Divinam ordinationem* a Paulo appellari (2), quod hominum tam salubre institutum Deus probaverit.

§. IV. Ex quibus conficitur, non mihi se illorum probari sententiam, qui Regiam Majestatem a Deo αμεσως repetunt, ut negent ullas in ea quidem maxima re, esse Populi partes, ut *Hornius*, *Zieglerus*, *Strauchius*, *Bosius & Gransweinkius*, *Böeclerus*, *Osiander*, *Dupinus* ac ipse *de Marca* cum cæteris (3) asseruere; eò usque progressi, ut *Majestatem*, veluti

(1) Grot. Lib. I. De I. B. & P. Cap. IV. §. VII. n. 3.

(2) Ad Rom. XIII. 1. & seq.

(3) Vid. Horn. De Civit. Lib. II. Cap. I. Osiandrum observ. ad Grot. Lib. I. Cap. III. §. 7. & Ziegler. ibidem. Dupin. De antiq. Eccles. Discipl. Differt. VII. Cap. II. §. I.

uti Ens Phyſicum, Regibus a Populo electis, a Deo *immediate* infundi, tamquam fidei articulum tueantur (1). At neque ea ex adverſo mihi nefaria arridet ſententia, quæ Summam Poteſtatem populo tribuit; atque ab eo, cui Deus eam primum conceſſit, Principes eamdem veluti precariam conſequi. Quare porro inferunt hujuſce ſententiæ patroni, poſſe Populum pro lubidine eam Poteſtatem cui velit tribuere, eamdem rapere cui velit; eumque non minus, quam quemque de Populo, poſſe pro lubitu e ſervitute ſeſe in libertatem aſſerere. Quod male conceptis votis, ſatiſque inauſpicato impius Willielmus Thomas Raynallius poſtremis hiſce temporibus optavit, inſano quodam primævæ libertatis (2), quam Natura jamdiu ſenſim abdicavit, deſiderio abreptus.

§. V. Itaque, ut e multis me paucis colligam, ſepoſitis cavillationibus verborum illorum *αμεσως* ac *mediate*, aſſero, Poteſtatem ſummam a Deo *primario* quidem manare, ac indeſinenter; a Populo autem *ſecundario* pendere per *electionem* Di-

(1) Vid. Everard. Otton. ad Puffend. De Hom. & Civ. Lib. II. Cap. VI. §. XIV.

(2) Raynal. locis ſupra adductis.

Divinæque ordinationis probationem. Est nempe modus in rebus. Populus hinc mihi erit summi conferendi Imperii caussa cum Deo συνεργὸς; quæ tamen non ejusdem nec paris sit potestatis cum *caussa prima*, quæ in conferenda Summa Principibus Potestate, non solum ut *caussa universalis* agit, sed etiam ut *particularis*. A quibus libello præstitutis finibus non egrediar: ita enim mihi prorsus persuasum est, non posse rectum citra hosce fines consistere.

§. VI. Nobilitandæ autem Scholasticæ huic quæstioni, quæ per se ipsa angustis, quos dixi, cancellis concluditur ac finitur, quæque sterilis est atque inelegans: varia eamdem ac multiplici ornavero suppellectili, integramque, ac pro virili ornatam, instituam tractationem *de Principe*, cujus Potestatem contra Monarchomachorum audacem impiamque sententiam, a Deo præcipue derivabo. Omnia hinc, quæ contra hæc facere existimantur, pro virili discutiam, atque ex illis ipsis argumentis, quibus ipsi urgent adversarii, argumentum persæpe mihi sumam, magis magisque sententiam, quam tueor, confirmandi. Præsertim vero de *Lege Regia* dicam,

quam nullatenus meæ repugnare sententiæ, luce clarius ostendam. Ne autem tractatio isthæc omni frustretur utilitate, officia præcipua subditorum adversus Principes percurram, Principumque in subditos; cuncta illuc collineans, ut Principum Summa Potestas sarcta tecta, ab omni Populi tumultu, seditioneque sive justa sive injusta, servetur. A quibus omnibus, priore hocce me expediam Libello. Altero autem, Principum Jura universa a me quoque paucis tractabuntur; sive *Enchiridium* a me de iis instituetur, quod sui magnitudine ac mole non absterreat studiosos, illosque faciat nobilioris hujusce τῆς πολιτικῆς Partis, desertores. Quis enim ignorat ad ravim usque *De Juribus Majestatis* tractasse, ac disputasse *Zieglerum*? Nonnullæ demum tertio in lucem emittentur Libello Commentationes in celebriores Constitutiones, quæ in Codice prostant Fridericiano, qui hocce in Regno, ubi auspice ac volente Deo vivimus feliciter, adhuc obtinet. In calce postea cujuscunque libelli, pro re nata, nonnullæ etiam addentur Dissertationes. Quæ quidem est totius operis, quod meditor, summa, ut puto, non infelix. *Ce-*

dant interea *privatorum studiorum ignobiles curæ*, inquam cum Eumenio (1): *perpetua mihi erit materia dicendi, qui me probaverit, Imperator.*

C A P. III.

Proposita sententia ex Sacris litteris confirmatur. Pauli verba cum Petri verbis conferuntur, & congruentia propositæ sententiæ explicantur. Refutantur potissimum, quæ de Petri Textu, Grotius sentit. Της διαταγης κ, της κτισεως *notiones exponuntur distinctius. Chrysostomi Auctoritas Auctoris interpetrationes adjuvabit. Difficultas quædam ex vetusti fœderis tabulis petita, qua Regum Majestas imminui nonnullis videtur, differtur paucis.*

§.I. JAm vero ordinis ratio suadet, quô gravissimæ huic quæstioni fiat satis, ab ipsismet Dei eloquiis propositæ sententiæ confirmandæ luculentiora arcessere argumenta. Quodnam autem in novi fœderis (nam veteres nunc multum non moror) Libris, luculentius illo testimonium ad rem nostram magis facit, quam illud Pauli ad Romanos? Is autem ita

(1) Eumen. Panegyr. in Constant. August.

ita infit: *Non est Potestas, nisi a Deo, & quæ sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt: itaque quisquis obsistit Potestati, Dei ordinationi obsistit* (1). Profecto, nisi fallor, nullam præterea interpretationem verba isthæc patiuntur, quam eam, quæ nostræ conveniat sententiæ. Quis non videt hic, Deum ipsum, tamquam principem omnis ordinis ordinatorem, Summas Potestates ea maxime de caussa parentibus Populis *electionis* ope præficere, ut accepta a se *primario* Potestate Summa, nihil porro supersit, quod Imperantes accipiant a Populo, quam ut se ex ordinatione Dei gubernari facile patiantur? Verum enimvero, cum Deus in hujusmodi Principum electionibus, hominum eligentium animos præcipue moderetur; nullus dubitandi locus relinquitur, quin Electio a Deo *primario* procedat, *secundario* autem & αμεσος a Populo, per consentientem vocem, ex cœco magis (ut sæpe fit in multitudine) animi impetu, quam ex consilio erumpentem (2). Quare persuasum omnibus est, Populi vocem inconsultam, maxime vero in Electionibus, esse Dei vocem, qui

(1) Ad Rom. XIII. v. 1. & seq.

(2) Confer verba Plinii superius adducta Cap. II. in not. ad §. III.

qui Naturæ est auctor efficacissimus, quique *ubi vult*, *spirat*, ac omnia interius, pro summo rerum arbitrio, efficaciter movet. Quamobrem Cicero cum vere dixisset, nihil esse illi principi Deo, qui omnem hunc Mundum regit, Civitatibus acceptius, hæc præterea sapienter addit: *harum rectores, & conservatores hinc* (a Deo scilicet) *profecti*, *huc revertuntur* (1). Qui autem ab aliquo proficiscitur, tamquam ejus vicarius censeri oportet.

§. II. Ex quibus conficitur, *Electionem*, quæ per Populum fit, esse occasionem nescio quam, qua posita, princeps Deus, motum Populi animis ciendo, Regem creat per Populum: ita ut Populus in hac specie, nisi me fallam, sit quædam *occasionalis* caussa, ut cum Malebrankio loquar, qua remota, Imperium Deus non elargitur. Ex vetustis sane fœderis Libris constat, Deum, qui beatiori veterum nostrum Patrum ævo, divino plane regimine, Populum Israeliticum curabat, etsi dixerat antea Samueli (1); *ecce vir*, *quem dixeram tibi*, *iste domina-*

(1) Cic. in Somn. Scipion. Cap. III.
(2) Lib. I. Reg. Cap. IX. v. 17.

nabitur Populo tuo: Deum, inquam, constat, Saulem Regem inauguraſſe, at non ipſum per ſe, verum per Samuelem, ſive mavis, Samuelem Dei nomine. Adeo verum eſt, numquam Deum per ſe in Terris verſatum, ipſumque per ſe humana curaſſe! quæ quidem cum ita ſe habeant, dici numquam poteſt, cauſſam conſtitutionis Summarum in Civitate Poteſtatum *immediatam* eſſe Deum, vel motum eligentium animis, ipſo movente Deo, excitum; cum aliquid *anterius* utrumque ſit, ac remotius ipſa *electione*. Contra hæc, *immediata* hujuſce, quam dixi, conſtitutionis cauſſa, eaque proxima eſt *electio*, quæ & a Deo & a motu in eligentium animis excito, eſt quid ſane diſtinctum.

§. III. Ex quo excurſu ad Pauli verba protinus revertor. Ea vero ſunt: αντιτασσομενος τη εξουσια, τη του Θεου διαταγη ανθεστηκεν (2); *Quiſquis obſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi obſiſtit*. Rationem reddiderat antea: ου γαρ εστιν εξουσια ει μη απο Θεου; *non eſt enim Poteſtas, niſi a Deo, & quæ ſunt Poteſtates*, υπο του Θεου τε-

(1) Nota hic, illud ἀντιτάσσομαι proprie ſignificare, *ordini me oppono*.

τεταγμεναι εισιν, *à Deo ordinatæ sunt*. Animadvertendum hic in Pauli verbis, *ordinationem*, dici διαταγην (quam Petrus de *ordinatione* hominum loquens, generaliori quodam vocabulo κτισιν appellat) & illud item *ordinatæ sunt*, scribi τεταγμεναι; quod quidem, ut bene Græcæ Linguæ periti norunt, a τασσω deducitur. Τασσω autem in Deo quid sibi proprius vult, quam *prædestinare*, parare scilicet in antecessum quæcunque media fini jam constituto intelliguntur pernecessaria? Deus itaque O. M. Mundi Moralis æque ac Physici ordinator justissimus, cum primum de Civitate constituit, Summam quoque Potestatem primum intendit, qua posita hominum Societas Civilis consisteret, qua sublata, statim rueret. Quare hoc Dei sanctissimum propositum, *ordinationem* sapienter Paulus appellat. Ex quo exploratum est, Deum *primario* summam Potestatem ex alta & sempiterna quadam animi destinatione, Civitati tranquille regundæ, feliciterque augendæ, comparasse: at non *absolute* a se & ex nihilo ut ex nihilo cuncta *absolute*, atque αμεσως creavit; verum ordinatis mediis, *electione* Populi nimirum, vel tacito ejusdem

dem consensu. Quibus etiam patet, quam absurde Summum Imperium, tamquam Ens Physicum a Deo *immediate* repetatur. Creatio sane hujusce Mundi adspectabilis ἀμέσως a Deo est; nisi cum illis insanire alicui placuerit, qui per inferiores quosdam administros, Mundum quoque Deum creasse (1) autumant: at quæ post Mundi creationem ex nihilo, viribus caussarum secundarum, creare pergit; ea vero, si asseris, *immediate* Deum creare, nonne cum ratione insanias?

§. IV. Ex qua *ordinatione* Dei recte Paulus infert, non licere privatis obsistere Principibus; qua de re pluribus suo loco dicemus. Verum non resistendi necessitatem, haud ex *ordinatione* Dei dumtaxat Paulus derivat: at insuper aperte scribit eodem loco, Populos ad obediendum Regibus perpetuo *propter conscientiam* obligari. Quare mihi videtur, Paulum pro certo habuisse, *ordinationem* illam Dei habere vim quamdam præcepti omnino Populos obligantis ad parendum. Perpendamus itaque paucis *conscientiam* istam, de

(1) **Vide Natal. ab Alex. Diss. XXIV. in Sæcul. I.**

de qua Paulus loquitur, ut inde etiam magis constet, quod jam mihi proposui. Profecto quidnam est conscientia isthæc, propter quam Paulus nos monet, imo præcipit nobis, cunctoque Christiano Populo, ut τῇ ἐξουσίᾳ, Summæ scilicet Potestati pareamus, nisi sensus ille interior officii nostri, ex certis indubiisque rationibus, ex ipsa natura petitis, manans, qui nos Deo præcipue obligat, deinde hominibus? Satis nempe rectæ rationis primigenio lumine, cujus quisque sibi conscius est, unde & coscientia conflatur, homini innotuerat Summæ Potestatis Civilis necessitas, quô Civitas bene tranquilleque ageret. Itaque Deus mihi videtur, ipsa prælucente ratione, Summam Potestatem ordinasse, quam deinde homines colerent, ne contra conscientiam peccarent. Porro, licet nullum sit Dei præceptum positum, quô constet homines segreges in societatem coiisse, ad quam sponte se adduci siverunt; nulli tamen dubium esse potest, quin præceptum de Patribus-familias extra Societatem Civilem a domesticis honorandis excolendisque, illud quoque Cives omnes, quos unaquæque Civitas complecteretur, obligaret ac

de-

devinciret, ut Civitatis custodi, ac Patriæ Patri obtemperarent. Imperium enim civile, quod herili succrevit, eamdem habet erga Cives rationem, quam herile ad familiam. Apposite inquit Henricus De Cocceii (1) Summam Potestatem Civilem ideo Divinam ordinationem a Paulo appellari, quod Patribus-familias Imperium a Deo ab initio concessum est. Accessit tum rectæ rationis præcepto, quod sane a Deo est, ipsius Dei mandatum de Regibus excolendis: præcipue enim Dei jussu apud Judæos primum judicia constituta sunt; apertis deinde verbis præcepit quoque Christus in Libris novi fœderis, dari *Cæsari*, *quæ Cæsaris*; quod Grotius haud negat (2). Cum itaque recta primum ratione Reges excolendos Deus præcepisset, ipsiusque Dei mandatum postea accesserit: nemo sanus hinc dubitaverit, quin subjectio Populi adversus Principes ex eo potis-

(1) Comment. ad Hug. Grot. Lib. I. Cap. IV. §. VIII. Fortasse summa Potestas Civilis *Divina* dicitur *ordinatio*, quod ea consistit in suum cuique tribuendo, adeoque in exequenda voluntate Divina.

(2) Lib. I. De J. B. & P. Cap. IV. §. IV. n. 1. in prin.

tissimum derivetur, quod Reges Deus ipse *primario* jusserit, non probaverit tantum, uti Grotius affirmat, veluti *ex post facto*.

§. V. Quamobrem falsa est ejusdem Grotii sententia, quam ex Apostoli verbis detorquet, quod *conscientia* nimirum, sive officii nostri sensus interior, Principibus obedire nos obligat, eo quod Deus ordinem illum *imperandi & parendi approbaverit* (1). Quod si enim Deus approbasset tantum ordinem illum, non item jussisset: Populi ipsi non ex Jure *præceptivo*, at potius *permissivo* Jure, Principibus obtemperare tenerentur: ita ut liberum cuique foret obedire vel non; neque conscientiæ scrupulus aliquando metuendus esset, qui inde nos male haberet. Quod magis falsum. Grotii autem sententia cum ipsis Pauli verbis valde repugnat. Deum namque ipsum Summam Potestatem *ordinasse* Paulus scribit, non *probasse*; *ordinare* vero, nisi fallor, plus profecto notat, quam *probare*. Qui *ordinat* enim, *primario* parat opportunis mediis aliquid confici, quod *ordinem*, qui

 per-

(1) Grot. Lib. I. De J. B. & P. Cap. IV. §. IV. n. 1. & alibi.

perpetuo antecedit, consequatur. Quare & Philosophi (1) ajunt, *ordinem non dari, nisi cum relatione ad aliquid primum.* Quod non solum Pauli verba superius descripta innuunt; verum etiam quamplurima Divinarum Litterarum vetera documenta in illustrioribus posita monumentis (2), ut Sapientiæ, ac Proverbiorum: ubi facile quisque legerit, *datam a Domino Principibus* ἐξουσίαν, Potestatem nempe, ut equidem interpretor, summam & *independentem*; itemque *Reges per Deum regnare*; clariusque, Principes imperare per Deum, potentesque *per Deum justitiam decernere*. Quod ad nudam Dei referre probationem, quæ hominum factum sit consecuta, non hominis est recta utentis ratione.

§. VII. Verum nihil me magis movet, ut contra Grotium (quem divini ingenii virum alibi sæpius, incredibili quadam animi admiratione commotus, magis laudo fortasse, quam oportet) ita censeam; quam ipsius Dei de Principibus anxia sollicitudo, quæ non exinde ortum tra-

(1) Aver. V. Metaphys. Com. 6.
(2) Sap. VI. & Proverb. Cap. VIII. v. 15. & 16.

trahit, quod hominum factum Deus probaverit tantum, at profecto ex eo, quod Reges *primario* jusserit. Quod non solum ex eo patet, quod Deus profiteatur per se Reges regnare, justitiamque decernere, ut superius dictum modo est: verum etiam, quod Regum dignitati a Deo potissimum caveatur. Et sane ipse Deus procul dubio scribi jussit in lege veteri: *Diis*, idest Judicibus summis, (penes quos in Theocratia Judaica, Res Judæorum publica primum fuit) *non maledices*, *& principi in populo tuo non maledices*. (1). Quæ quidem cautio satis jam satis ostendit, *Deorum* idest *Summarum Potestatum* personam ac dignitatem, Deo apprime esse curæ. Quod Grotius quoque profitetur, qui haud negat, *aliquid hic præcipi speciale*, eminentium præcipue Potestatum facta mentione (2). Quare haud ex sublimiore aliquo consilio, quod nonnulli hic comminiscuntur Interpretes; sed ex officii necessitate, pro ratione nimirum obligationis ex Jure tum naturali, cum

 posi-

(1) Exod. XXII. v. 28.
(2) Grot. De J. B. ac P. Lib. I. Cap. IV. §. VII. n. 6.

positivo deducendæ, recte idem Grotius putat, Davidem (1), cum commode posset Saulem hostem necare, indignum illud non admisisse scelus. *Obstabat* quippe, ait Optatus Milevitanus (2) de hocce Davidis facto loquens, *plena Divinorum memoria mandatorum*. Quam quidem officii necessitatem adversus Saulem ex eo quamplures tuentur, quod Deus ipse Saulem inauguraverit Regem: eamdem mihi adversus omnes Reges tueri etiam lubet; quod censendum est, eos quoque Deum inaugurasse, quos *primario jusserit*, ac *ordinaverit*. Quare inter cætera Essenorum verba, illud quoque Grotius recenset, *Reges sanctos esse habendos*, nempe *pro Diis* (3).

§. VIII. At videamus modo, prius quam aggrediamur ad cætera, quæ nostræ confirmandæ sententiæ egregie facta videbuntur, ecquid sapientissimum Grotium Regii Imperii alioquin fortissimum assertorem, in eam induxerit sententiam, ut crederet, ideo Summam Potestatem *Divinam ordinationem* a Paulo dici, quod Deus tam salubre hominum institutum ap-

(1) Samuel. Lib. I. Cap. XXVI. v. 9.
(2) Lib. II.
(3) Grot. Lib. I. ibidem.

approbaverit, eique postea suam impertitus auctoritatem fuerit. Præsto est Petri Ecclesiæ Coryphæi auctoritas, quæ procul dubio ansam Grotio (1) dedit, quare ita sentiret: *Subjecti estote*, Petrus inquit (2), πασῃ ἀνθρωπινῃ κτισει, *omni humanæ ordinationi propter Deum*. Equidem hic aliquantisper subsisto. Primum autem haud nego, Petri textum ita quidem ab aliquibus verti, ut κτισις *ordinationem* denotet: At non ignoro, vulgo pro *ordinatione*, *creaturam* quoque (3) verti; ita ut sensus sit, *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, nempe propter Dei *ordinationem*, quam clare Paulus innuit loco superius adducto; clarius autem Petrus paulo post; οτι ουτως εστι το θελημα του θεου: *quoniam ita est voluntas Dei*. Quam rationem id propterea reddidit Petrus, ne homines æqualitatis memores, quam a natura fuerant aliquando consecuti, Principibus a Deo constitutis, (quare addit *propter Deum*), qui & ipsi homines sunt, (*creaturas humanas* hic Pe-

 trus

(1) Leg. Lib. I. De J. B. ac P. Cap. IV. §. VII. n. 7.
(2) Petr. I. Cap. II. v. 13.
(3) Κτισις enim a κτιζω, quod *condere* notat atque item *creare* derivatur.

trus appellat) parere umquam gravarentur. Quamobrem rectius mihi videtur vulgatam se lectionem habere, quam eam, quæ a nonnullis cum Grotio obtruditur. Quid ni? Ipse namque Petrus Apostolus hanc tueri lectionem videtur; addit enim, *sive Regi, tamquam præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis.* Miror itaque Grotium, qui sibi persuaserit, legi potius hic debere, *humanam ordinationem*, quique non dubitaverit postea asserere, Summam Potestatem Civilem a Populo proxime quidem ac *primario* ordinari, Deo autem probari postea tam salubre institutum (1). Quæ quidem Grotii lectio si tuenda foret, sensus verborum illorum, *humanæ* scilicet *ordinationi*, non is esset, quem Grotius urget, quasi Summæ Potestatis *ordinatio* homines habuerit auctores; verum sensus erit, quem clarissimus urget Salmasius (2), qui illud Petri *omni humanæ ordinationi* ita interpretandum esse autumat, *omni* nimirum *Potestati, quæ in homines constituta est*.

§. IX.

(1) Grot. Lib. I. De J. B. & P. Cap. IV. §. VII. n. 3.

(2) Claud. Salm. Cap. III. Defens. Reg. pag. 60.

§. IX. Quamquam neque illud hic prætereundum, την κτισιν, *ordinationem* scilicet apud Petrum significare etiam universaliori quodam sensu, quam διαταγην, quæ de *Divina* nominatim *ordinatione* a Paulo asseritur. Κτισις nimirum, cum denotare queat quodvis opus quoquo modo patratum, recte de Populi quoque *electione* prædicatur: quippe & Populus *secundario*, ut infra uberius, Regibus Imperium confert. Quare & *ordinatio* erit latiori quodam sensu, quæ, cum nullo sui momento valitura foret, nisi *Electionem* antevertens, Deus *primario* Regem legeret; ideo Petrus addit, *propter Deum*, quasi diceret, *subjecti estote omni ordinationi humanæ*; *ordinationi* nempe, quæ in homines constituta, ac firmata a Deo *antecedenter* fuerit: *Divina ordinatione*. Hinc διαταγη, sive διαταξις, qua voce utitur etiam Chrysostomus, *ordinationem* notat, ex qua non quoquo pacto, sed veluti ex propria & principi caussa, Summa Potestas primordium sortiatur. Plane hoc sensu Chrysostomus adversus illos scribens, qui sua etiam ætate, ad Imperium omne convellendum, Summa nonnullos Potestate summisque in Rep. honoribus male

 usos,

ufos, regerebant; ita quidem fententiam fuam, poftquam in meliorem partem pluribus peroraffet, concludit: Αλλ' αυτης βλεπε της διαταξεως την ευκοσμιαν και την πολλην οψει τυ αυτα εξ αρχης νομοθετησαντος σοφιαν: *fed ipfius inftituti vide pulchritudinem, & multum fapientiam ejus admiraberis, qui primus ejus auctor fuit* (1). Quæ quidem Chryfoftomi verba, erant huc transferenda, tum ut hinc pateret clarius διαταξεως, *ordinationis* fcilicet divinæ notio, tum etiam ut ex verbis poftremis cuique innotefceret, quam vere dixerim, Summam a Deo Poteftatem *primario* conftitutam manare. Quid namque clarius ad propofitum meum, quam divini vere hominis & eloquentiffimi verba illa, *multumque admiraberis fapientiam* τυ αυτα εξ αρχης νομοθετησαντος? *qui a principio* (five *primario*) *hoc inftitutum, legem* quafi *ferendo*, *ordinavit*? Jam vero id gaudeo.

§. X. Non omnino autem a propofito meo alienum videtur, illam quoque hic occupare, quæ maximi habetur momenti, difficultatem: qua eminentior Regum Di-

(1) Verba hæc Cryfoft. extant apud Grot. in Notis ad §. IV. n. 2. L. I. De J. B. & P. Cap. IV. Ea vero ex VI. De ftatuis citat Grotius; at cl. Barbeyr. ibidem extare negat.

Dignitas ac Poteſtas magnopere cenſetur collabefieri. Ex vetuſti nempe Teſtamenti tabulis nonnulli arguunt, vel arguere ſaltem credunt, Deum Hæbreorum Populo Reges in pœnam dediſſe (1), adeoque non eam ſemper fuiſſe Dei voluntatem, ut Reges Populo imperarent, eumdemque perpetuo gubernarent. Quæ difficultas non id probat, quod ponitur, neque noſtræ omnino pugnat ſententiæ: poſito namque, quod falſum eſt, Deum Regem Judæis tribuiſſe in pœnam, non inde ſequitur, Deum Summam Poteſtatem aliquando non probaſſe; at ſequitur; potius jucundiorem Deo fuiſſe illam regiminis formam, quæ tamdiu viguerat apud Judæos, ut a Judicibus nempe regerentur, quibus Summam Deus Poteſtatem largitus ab initio fuerat. Temere autem aſſeritur, Deum Judæis Reges in pœnam dediſſe; ac ſi verum eſt, nihil eſt, quod ex eo capite Regibus imminuatur Majeſtas. Jamdudum enim obſervavit Moſes Maimonides apud *Cunæum*, *Sigoniumque*, ipſumque *Petrum de Marca* (2), Judæos

tria

(1) Sam. Cap. VIII.

(2) Cun. De Rep. Jud. & Petr. de Marca Lib. III. de Conc. Sacerd. & Imp. Lib. IV. §. IV. Conf. Cl. Salmaſ. Def. Reg. p. 43.

tria olim mandata a Deo accepisse. Unum scilicet, ut Regem aliquando constituerent, alterum ut Amalekitas delerent, tertium ut Templum conderent. Quare nemo, si sapit, in dubium revocabit, Judæorum res ab initio ita quidem constitutas a Summo Divinoque Numine fuisse, ut eas tandem aliquando Reges moderarentur. Sane cum universus Oriens Regibus olim suetus (1) esset, ac omnes in proximo gentes sub unius Imperio viverent, sapienter Deus de Rege Israelitis dando cogitavit, ut nempe optime Publicæ Judæorum Rei creatis Regibus consuleretur. Apposite hic facit quod de Romanis Imperatoribus tradit Pomponius (2): *Per partes evenit, ut necesse esset Reipublicæ per unum consuli*. Ea nimirum Divina erat ordinatio, ut Rex aliquando Israelitis constitueretur: at illud vere Deus indigne tulit, summam rerum a *Samuele* in Regem aliquem conspiratis factionum partibus transferri debere. Nulla itaque ex Regis creatione metuenda Judæis Dei erat indignatio, si Regem creare optassent, quô Legis præcepto fieret satis. Non igitur

(1) Tacit. Lib. IV. Histor.
(2) L. 2. De Orig. Jur.

tur Israelitis exprobavit Samuel nudam Regis optionem ; neque ea de caussa, quod Regem petiissent ex Dei præcepto, pœnam quodammodo Samuel, Regem concedendo, comminatus est ; at illud gravate sensit, Deusque indignatus etiam est, Judæos Samuelis imperium tandem exosos, ac ad omnia extrema paratos seditiosis vocibus Regis urgere creationem. Quod non potuit se Deo omnino probare. Quamobrem puniendæ petulanti Judæorum turbæ, Regem Deus creat; ut, constituto Rege, tanti facinoris in Deum perpetrati, pœnas luerent (1). Quæ quidem nullatenus pugnant nostræ sententiæ : qua ponitur, Deum Reges creare, sibique, præmiis ac pœnis moderandæ multitudini, Reges ipsos, veluti summos legere administros.

CAP.

(1) Profecto qui primus ad petitionem Judæorum Rex illis fuit datus, neque Tyrannus fuit, neque Rex de pessimis unus. Bonus electusque ab ipso Samuele Cap. IX. Saul appellatur; *neque fuisse in filiis Israel quemquam meliorem illo*. David qui proxime Sauli successit optimus fuit; sapientissimus autem omnium Regum Salomon filius ejus. Itaque reipsa falsos esse patet, qui ex Cap. VIII. Samuelis Jus Regis constituentis, inferunt, Deum Reges in pœnam Judæis tribuisse. Nos infra pluribus hujusce Capitis sententiam exponemus.

C A P. IV.

Auctoris sententia Patrum auctoritatibus firmatur. Eadem Scriptorum quoque profanorum dictis, ac historia antiqui & medii aevi fulcitur.

§. I. NEque vero praeterea quidquam antiquioribus Patribus in animo sedit, cum ab ipso Christianae Ecclesiae primordio, summam Deum Potestatem contenderint Principibus elargiri. Perlegebant scilicet & in vetusti foederis tabulis & in novis, datam a Domino omnium Potestatem Regibus & *virtutem*, eosque ob Potestatis plenitudinem appellari *Deos*; quam *primario* a Deo jam accepisse aeternumque accepturos sentiebant. Hic autem est plane verborum sensus, quibus Divi Patres utuntur, licet alius obtrudi ab illis soleat, qui Majestatem a Deo *immediate* derivant. Et re quidem vera Irenaeus, ut ab omnium vetustissimo incipiam, Pauli Apostoli vestigiis inhaerens, cum Potestates, quae sunt, a Deo ordinatas fuisse, scripserit, addit in-

insuper (1): *cujus Jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur*. Quæ quidem comparatio erit prorsus insulsa, si putetur umquam Reges a Deo ἀμέσως constitui ex Irenæi sententia, ut homines a Deo ἀμέσως & *immediate* nascuntur. Quo quid insulsius? Nam homines ab hominibus *immediate* nasci ac generari, non autem a Deo, quis caudex ivit umquam inficias? Non itaque *immediate* ex Irenæi sententia Reges a Deo Potestatem consequuntur, at *primario*. Convenit Irenæo Tertullianus (2): *Inde*, inquit, *Imperator, unde & homo, antequam Imperator*: Homo autem *immediate* a Deo non est. Multo minus pro eorum sententia, qui Regiam Potestatem a Deo ἀμέσως derivant, obtrudi etiam potest Dionysii Alexandrini auctoritas. Hic enim generali quadam oratione, quæ apud omnes obtinet vetustos Patres æque ac apud recentiores, asseruit (3): Τον ἑνα θεον και δημιουργον των ἁπαντων, τον και την Βασιλειαν ἐγχειρησαντα τοις Θεοφιλεστατοις Ουαλεριανῳ και Γαλλιηνῳ σεβαστοις; *unum Deum*

(1) Irenæus adv. Hæres. V. 24.
(2) Tertul. Apolog. Cap. XXX.
(3) Dionys. Alex. apud Euseb. Hist. Eccles. Lib. VII. c. 11.

Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano & Gallieno, sacratissimis Augustis, Imperium dedit. A qua Dionysii sententia, ut cæteros missos faciam, non abhorret Augustinus, qui aperte iisdem fere verbis, Deum, qui Augusto, ipsum & Neroni; qui Vespasianis vel Patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipsum & Domitiano crudelissimo, *Imperium dedisse*, affirmat (1). Sexcentos invenies, qui in eamdem sententiam, quæ a nostra non abit longule, euntes, generatim fuerunt locuti, ut quisque de Populo; tantum abest, ut ab eorum auctoritatibus certi quidquam colligi pro Summa Regum Potestate possit, ἀμέσως a Deo derivanda.

§. II. Equidem nolo, ne infinitus fiam, per omnia vagari veterum Patrum scripta, eorum huc transferens sententias, quô illud aliorum verbis evincam, quod reipsa certissimum est. Satis erit illas legisse, ut quisque mihi consentiat, statimque in animum inducat suum, non posse cum illis sententiam, quam refuto, pro-mo-

(1) Aug. De Civit. Dei Lib. V. Cap. XXI.

moveri (1). Unum hic non distædet Chrysostomi referre fragmentum, quod mirifice meam juvat sententiam. Illud autem sic se habet (2): *Quid dicis? Omnis ergo Princeps a Deo constitutus est? Istud non dico. Non enim de quovis Principe sermo mihi nunc est, sed de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quodque hi quidem imperant, illi vero subjecti sunt, quodque non simpliciter, ac temere cuncta feruntur, nec fluctuum instar, Populi huc atque illuc circumaguntur, Divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit: non enim Princeps est, nisi a Deo; sed de re ipsa differit, dicens, non est enim Potestas, nisi a Deo.* Lippitudine profecto laborat, qui ex hoc allato Chrysostomi Homiliæ frustulo, non videt, quod initio dicebam: non Potestatem quidem Summam *in concreto* a Deo esse αμεσως, ita ut in ea conferenda nullæ sint Populi partes, at *in abstracto*. Quare factum porro est, ut illud mihi probandum susce-

pe-

(1) Lege veterum Patrum sententias hac de re apud clarissimum Carminum Eimiani in animadvers. ad observ. Justi Hen. Boehm. Lib. II. de Conc. Sacerd. & Imp. Cap. II. Observ. III. Vide etiam Dupin. Diss. VII. Cap. II. §. I. & *Traitè de la Puissance Eccles. & Temp.* Art. II. Pag. 78. & seq. edit. in 8.

(2) Chrysost. Homil. XXIII. in Epist. ad Rom.

perim, quod pro virili nunc exequor, Potestatem Summam in *concreto*, scilicet prout est in hoc vel alio Principe, non αμεσως, verum *primario* a Deo, αμεσως autem & *secundario* a Populo manare. Quod ex Constitutionibus quoque, quæ vulgo Clementis dicuntur, satis patet. Is autem ita: Τον Βασιλεα φοβηθηση, ειδως οτι τȣ κυριȣ εστιν η χειροτονια: *Regem timebis, gnarus, quod a Domino est electio*; nempe *primario* a Deo, ut qui την χειροτονιαν, proprie *creationem per suffragia*, promovet, ac moderatur.

§. III. Supereſt nunc profanorum quoque Scriptorum, Patrum auctoritatibus, sententias adjicere luculentiores, quo major undique nostræ fiat fides sententiæ. Age, primus omnium esto Divinus Homerus, qui pluribus in locis celeberrimi sui Poëmatis clare cecinit, Διοτρεφιας Βασιληας, *a Jove educatos Reges*. Idemque in Iliade (1).

„ Τιμη δ'εκ Διος εστι.

„ Ab Jove summus Honos.

Et apud Salmasium (2), unum Regem in populo oportere esse, idem Homerus ait,

(1) Iliad. Lib. II. v. 197.
(2) Apud Salmas. Def. Reg. Pag. 38.

ait, quem ἔδωκε Κρονου παις, *constituerit Saturni filius*, nempe Jupiter. Clarius autem Callimachus; ἐκ δε Διος Βασιληες, *ex Jove esse* canit *Reges* (1). Et Aischylus in Prometh. inquit;

„ Τραχυς μοναρχος κ'ουχ υπευθυνος κρατει
„ Rex est suo utens jure, nulli obnoxius.

Sophocles autem (2).

„ Αρχοντες εισιν, ως θ' υπεικτεον; τι μη;
„ Principes sunt: obsequendum. Quippe ni?

Aischylus autem & Sophocles somniarent, Reges nulli obnoxios suoque Jure utentes, si fieri umquam posset, ut Reges a Populo, non autem a Deo Summum Imperandi Jus *primario* acciperent. Inter Essenorum quoque placita memorat Porphyrius (3): ου διχα θεου περιγινεσθαι τισι το αρ-

D

(1) Vid. Lipsium Lib. II. Polit. Cap. II. Hinc Minos Jovis filius Homero habitus Iliad. XIII. ut Eacus, Radamanthus, aliique Legum conditores; quia nonnisi a Deo, mente æterna ac infinita, vera est sapientia, a qua optimæ leges manant. *Per me Reges regnant & legum conditores justa decernunt*. Itaque Pindaro Reges laudantur tamquam πεπνυμενοι, *inspirati divinitus*.
(2) In Ajace v. 677.
(3) Porphyr. Lib. IV. De Abstin. Pag. 389.

αρχειν ; *non obtingere cuiquam Imperium, sine Dei cura speciali*. Consentit Diodorus, qui (1) de Ægyptiis loquens, eos, ait, existimare, non sine Divina quadam Providentia, Reges *summam de omnibus Potestatem consecutos*, αυτους τετυχεναι της των ολων εξουσιας. Uno tandem ore unaque mente reliqui consentiunt omnium ætatum Gentiumque Scriptores. Hinc profecto Tacitus (2): *Principi summum rerum arbitrium Dei dederunt; subditis obsequii gloria relicta est*. Plinius vero in Panegyrico, Trajanum *Divinitus constitutum* dicit (3); itemque Principem Diis simillimum, castum, sanctum, præstabilius ac pulchrius Deorum munus appellat. Deinde contendit ibidem, Trajanum haud occulta fatorum potestate, sed ab Jove ipso coram ac palam repertum, electum. Quæsiverat primum utrum forte casuque rectores Terris, an aliquo Numine darentur? Quod profecto ad propositum meum facit (4). Curtius quoque scripsit

(1) Diodor. Sicul. Lib. I. De Ægypt.
(2) Tacit. annal. Lib. VI. Cap. VIII.
(3) Plin. Panegyr. in Trajan. in princ.
(4) Idem Paneg. Pag. 320. edit. Lugd. ap. Seb. Gry.

psit (1) Regium nomen, Gentes, quæ sub Regibus sunt, pro Deo, colere. Vitigis etiam apud Cassiodorum haud contra (2) sentiebat: *omnis Provectus*, ajebat ille, *maxime Regius, ad Divinitatis munera referendus est*. Omnis autem provectus (adeoque & Regius) non ἀμέσως a Deo est, ut antea dicebam, sed *primario*. Hinc Titus Imperator apud Svetonium (3), *Potestates fato dari*, ajebat: Fatum autem apud veteres Gentes, illa ipsa erat Divinæ *ordinatio*, de qua antea pluribus, quam tamen a Jove necessario pendere, a profanis, Homero auctore, credebatur; in quo a fato Christiano distat, si loqui ita fas est, nempe a Providentia. Hinc tandem in nummis *Providentia Deorum* legitur (4); & Imperatores Orientis θεοςεφεῖς, Occidentis vero a *Deo coronatos*; quique hodie pu-

 bli-

Gryph. 1547. Trajani electionem Dei opus appellat: *quin etiam Deum ipsum præcipuam voluptatem operis sui percepisse crediderim*: quare inferius pag. 347. *At postquam ad te Imperii summam, & cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem Dii transtulerint, tertium consulatum recusasti*.

(1) Lib. X. Cap. III.

(2) Cassiodor. Var. Lib. X. Cap. XXXI.

(3) Sveton. in Tit. Cap. III.

(4) Leg. Spanhem. adnot. ad Julian. Or.ra

blicis Europæ rebus ac ditionibus præsunt, easque feliciter moderantur, se Reges *Dei Gratia* profitentur. Neque vero ob aliam caussam Reges & Imperatores post hominum memoriam, Diis ipsis comparati, ac post mortem, facta immortalitatis fide ab ipso Populo, inter Cœlicolas numerati, dignique habiti, qui Deorum mensis adessent, propriis eorum voluptatibus fruituri. Percelebris est Juliani sublestæ fidei Imperatoris *de Cæsaribus sermo*; ubi Romulus Saturnalia celebrans, omnes Deos & Cæsares ad convivium invitat (1).

§. IV. Infinitum esset omnia persequi, quæ ex profanis Scriptoribus Græcæ Latinæque Gentis facile mihi suppeterent. Itaque, quod ad institutum meum modo pertinet, pauca potius ex Historia Romana, & Langobardica, quæ ad sententiam meam fulciendam facta potissimum reor, paucis attingam; eaque illustriora, quò major meæ lux affulgeat sententiæ, in contractum veluti orbem cogam. Primum autem quod mihi succurrit, est ab inauguratione Romuli peti-

(1) Jul. Imp. *de Cæsar. sermo* ex vers. Cantoclari Pag. 25. Tom. 1. in 8.

titum. Is regia indole adolescens, Numitori Albana permissa re, a Regni cupidine sibi non temperavit; deque nova in iis locis, ubi simul cum Remo expositus, ubique educatus fuerat, Urbe condenda, magna cœpit consilia agitare. Cum gemini essent, Regnique cupido, avitum nempe malum, utrumque tetigisset, constitutum; ut *Dii* quorum in tutela ea loca essent, *auguriis legerent*, qui nomen novæ Urbi daret, qui conditam Imperio regeret (1). In luce meridiana cœcutit hic, qui non videt, novi Regis electionem non quidem a Populo, sed a *Diis* potissimum expectari. Neque regerat quis fortasse morosior, ex evanida Religionis Gentium superstitione non desumenda homini esse argumenta vere christiano, cui persuasum sit, veterum auguria præstigiis haud multum absfuisse. Id saltem enim exinde patet, veteres Gentes ita sibi ab inveterata Patrum traditione, persuasisse, a Diis præcipue Imperia deferri. Redeo nunc ad geminos Fratres quos nunciato dispari augurio (2), utrum-

 que

(1) Liv. Lib. I. Hist. Rom. Cap. 5. ex edit. ad usum Delph.

(2) Liv. Lib. I. Cap. VI. ex ead. edit.

que Regem sua multitudo consalutaverat. Utrisque nempe sui fautores aderant, qui uni potius, quam alteri novæ Urbis Imperium deferri mallent. At de delatione Imperii jam nunc non quæro. Satis sit ex Romuli inauguratione, duo tantum observasse, *Deorum nempe electionem*, & *consalutationem* multitudinis; quarum illa *primario*, hæc vero *secundario* Romulum novæ Urbi præfecit. II. Romulum procella sublimem raptum, sive, quod verius est, Patrum manibus ob sævitiam impie discerptum, excepit Numa Pompilius: cujus electionis eadem fere leguntur apud Livium (1). Cæteris de Interregno missis, quæ non sunt hujusce loci, in variis voluntatibus, Regem tamen omnes, libertatis dulcedine nondum experta, volebant. Quod autem inclyta justitia religioque ea tempestate, Numæ Pompilii erat; isque omnium ætatis suæ vir erat omnis divini humanique Juris consultissimus; audito ab omnibus nomine Numæ, ad unum omnes ei deferendum Regnum decernunt. Quô aperte vero posteritati innotesceret, non

qui-

(1) Liv. Lib. I. Cap. XVI. & XVII.

quidem a Populo Summam deferri Majestatem Principibus, at *primario* a Deo; nonnisi missis ab Augure, pro more Gentis, auspiciis, Rex declaratus de templo, Numa descendit. Notanda profecto sunt, quæ Augur Jovem Patrem supplicando, verba fundit supplicia hujusmodi: *Jupiter Pater, si est fas* (nempe si tua est ordinatio) *hunc Numam, cujus ego caput teneo, Regem Romæ esse, uti tua signa nobis certa & clara sint inter eos fines, quos feci*. Quæ Numæ electio meæ sententiæ magis confirmandæ, alterum argumentum est primo fortasse validius. Namque accitus Numa non prius Rex a Populo declaratur, quam Diis auspicato consultis: ut inde nimirum ostenderetur, non a Populo Summam proficisci Potestatem, nisi *secundario*, quatenus nimirum & Populus Dei ordinationi paret Regem declarando, quem Deus antea jusserit sive expressis sive tacitis signis; & quatenus solemnibus quamplurimis institutis, iisque postea non omissis, at summa cum religione servatis, Regem perpetuo declarat. III. Eumdem semper in creandis legitimis Romanis Regibus morem obtinuisse censendum est; neque ul-

lum dubitationi locum relinquendum ex eo, quod Livius aliquando isthæc omittat sollemnia. Haud me sane piget, monumentum unum ex Livio (1) recitare, ex quo patet, quod Numa mortuo, *Tullum Hostilium*, Regem Populus, auctoritate Patrum, jussit. Ubi sollemnia Livius omittit, quæ alibi singillatim memoraverat, quæque hic non minus intelligendum est, Romanos summa cum religione misisse. Neque negotium alicui facessat, quod Regem Populum jussisse, persæpe Livius narret: frequentior enim apud Latinos Scriptores eam reperias dictionem; quæ non eo plane sensu accipienda est, qui indoctioribus sedit, quasi *jubere* idem sit ac *præcipere* cum auctoritate summa. Patres reipsa apud Romanos Populi jussionibus auctores persæpe fiebant; quin sexcenties apud Comicos legas, ut apud Terentium (2), *jubeo Chremetem*, ubi τὸ *jubeo*, latiori nonnisi sensu accipiendum est.

§. V. Illud etiam hic non prætereo, quod sæpe Populus Regem jubebat, quem antea intellexerat forte, vel claro aliquo fa-

(1) Liv. Lib. I. Cap. XXII. ex cit. edit.
(2) Ter. in Andr. Act. III. Scen. III. v. 1. & alibi.

facinore, vel mirabili aliquo viso portento, Diis cordi magnopere fuisse, vel futurum. Ita sane ad regnum evectus Hostilius; ita ad Regiæ dignitatis culmen excitatus Servius Tullius; ad quem propterea moribundus Tarquinius ait (1): *Erige te, Deosque duces sequere, qui clarum hoc fore caput, divino quodam circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa cœlestis excitet flamma. Nunc expergiscere vere.* Quare Lipsius, cum probasset (2), quampluribus petitis exemplis ab Historia antiqua, Regna & Reges a Deo tribui, ac deinde memorasset, Romulum & Tullum Hostilium utrumque ex Pastore, Tarquinium Priscum e peregrino & exule, Servium Tullium, quod ipsum nomen præfert, e vernula & servo ad sceptrum pervenisse; insuper addit: *quid hæc aliud sunt, quam*

„ Sidus & occulti miranda potentia fati?

Neque Romani tantum ex præclaro aliquo signo Dei voluntatem conjiciebant, ut

(1) Liv. Lib. I. Cap. XXII. & Cap. XI. & XII.
(2) Just. Lipf. In Monit. & Exempl. Polit. Monit. I. §. II. Tom. IV. oper. in Fol. edit. Antuerp. 1637.

ut aliquem Regem juberent: verum video etiam vetustissimas Gentes ex hujusmodi signo aliquo externo, Dei voluntatem conjecisse, ac elegisse Reges. Profecto ex Herodoto (1) constat, quod Æthiopes, *quem e popularibus maximum & pro magnitudine validum judicant, hunc Regem deligendum censent*. Plinius quoque (2) dum Taprobanem describit, ibi eligi ait Regem a Populo *Senecta clementiaque, liberos non habentem*. Langobardi etiam apud Sigonium (3), Ticini, universi convenere, ac *Clephonem, insignem nobilitatis virum*, Regem consalutarunt. Signum Dei voluntatem conjiciendi, Æthyopibus fuerat *corporis magnitudo & validitas*; Taprobanensibus *senecta clementiaque*; Langobardis autem *nobilitas*.

§. VI. Redeo iterum ad id, quod modo dicebam. Livius itaque non semper scribit, Populum *jussisse* Regem, at sæpe etiam *creasse* comitiis habitis, Patrumque accedente auctoritate, nempe per Populi suffragia, quæ ut superius dictum est,
De

(1) Lib. III. Cap. 20. ex edit. Gronovii Lugd. Batav.
(2) Plin. Hist. Nat. Lib. VI. pag 324 v. 10. ex edit. Jo. Harduin. in fol. Paris. 7041.
(3) Lib. I. De Reg. Ital. Pag. 22. Tom. II. in fol. edit. Mediol.

Deus potissimum moderatur. Hinc fortasse clarissimus Sigonius numquam in suis Libris *De Regno Italiæ*, Langobardos Regem scribit *jussisse*, verum *declarasse* ac *salutasse*; ut inde nempe conjiciendi cuique daretur occasio, ad Populum tantum *declarationem* pertinere, aut *consalutationem*; *electionem* vero *intrinsecam*, sive *Jussionem* proprie dictam, esse ipsius Dei, qui solus potest, eam potestatem, qua pollet, Principibus elargiri. Quo Sigonius scribendi utitur genere in *Alboini* I. Langobardorum Regis ac in *Clephonis* creatione, atque ita deinceps (1). Quamobrem Plinius: *quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverint Imperatorem* (2)? Quæ in unum congessi omnia, non ut inde huic libello augeretur moles; sed ut rebus ipsis ac factis potius antiquiorum Gentium, proposita magis magisque sententia firmaretur. Antiquiorum autem Nationum facta & consensus procul dubio, Jus illud formant, quod Jus Gentium dicitur: itaque non solum jure Divino positivo ac na-

(1) Sig. ibidem Pag. 16.

(2) Plin. Paneg. in Trajan. edit. Seb. Gryph. 1547. simul cum Epistolis; pag. 320. Conf. quæ alibi ex eodem Plinio descripsimus.

naturali, ut antea ostensum est, verum etiam, ipso Jure Gentium, constat, Summam Principum Potestatem a Deo præcipue manare.

CAP. V.

De Caussis homines primum in Civitatem cogentibus. Nova hac de re fertur opinio. Eloquentiam nempe, ac Barbariem caussas Civitati facit Auctor; positivam unam, alteram negativam. Pluribus de primo Gentium positu differitur. Firmandæ dehinc Auctoris sententiæ, de summa Principum potestate a Deo potissimum derivanda, sumitur argumentum.

§. I. Ex hactenus dictis satis constat, Deum ipsum Summæ in Cives constituendæ Potestati, primum Auctorem factum: Populum vero, ne in Deum suamque conscientiam peccaret, Regibus jam constitutis volentem, idest non repugnantem, paruisse. Cui sententiæ multam puto lucem ex antea dictis affulsisse: quam ne eidem fœnerari fortasse alicui videar, majorem nunc reddere conabor, proprioribus inde arcessitis argumen-

tis,

tis, unde vulgo putatur, Poteſtatem Summam *proxime* originem duxiſſe. Multas hinc tenebras, quibus propoſita ſententia obſepta nonnullis videtur, diſcutiam. Quare a cauſſis homines in Civitatem cogentibus, in tanto auctorum diſſidio, qui de hominis natura, Naturæque ſtatu, diligentius quæſiverunt, quantum in me eſt, propoſitæ ſententiæ fidem facere majorem, hoc capite aggrediar.

§. II. De cauſſa vero homines in Civitatem cogente, quid ſentiam, prius non aperiam, quam Juris Naturæ ac Gentium opiniones (eæ autem hac de re quamplures concurrunt) conſultorum, ſingulas retulerim. Hominis ipſius Naturam plerique, Duce Ariſtotele (1), cauſſam hominibus in Civitatem cogendis aptiorem faciunt: natura enim ipſa, inquiunt, hominem ad Societatem Civilem deſiderio rapi vehementiſſimo. Cui opinioni confirmandæ, argumenta potiſſimum a ſolitariæ vitæ miſeriis, a ſolitudinis tædio, a ſermone, qui extra ſocietatem homini eſſet nulli uſui futurus, ab inna-

(1) Ariſtot. Lib. I. Polit. Cap. II. ubi hominem, Natura Civile animal, φύσει ζῶον πολιτικόν, ſua ſponte ad Civitatem impelli putat, ut piſcis ad natandum, avis ad volandum.

nata consuescendi cum aliis hominibus cupiditate, a socialis vitæ commodis, pluribusque hujusmodi, deducuntur (1). Quorum argumentorum cumulum statim quispiam demat, ac hominis naturam penitius perscrutetur. Me dies deficiet, si plena manu hæc persequar. Paucis vero non supersedeam. I. Nemo sane dubitat, hominem ita natura comparatum esse, ut nihil perinde amet, atque utilitatem suam (2). Quare si relicta naturæ libertate primævisque societatibus, in Societatem Civilem homines ultro convenere: certe non societatem primum ipsam respexerunt, at majorem inde sibi proventuram utilitatem (3). Neque si ponatur innata isthæc Societatis cupiditas in homine, statim hinc sequitur, hominem natura rapi ad Societatem Civilem. Ingenti quippe illi desiderio fieri satis per primas societates potuit, junctasque cum æqualibus primum ami-

(1) Vid. Puff. De J. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. IV. & Lib. VII. Cap. I.

(2) Conf. Arrian. in Epict. Lib. II. Cap. XXII. & Hob. De Cive Lib. I. C. I.

(3) Conf. Puffend. De Hom. & Cive Lib. II. Cap. V. §. II.

amicitias. Quod ex Aristotelis quoque sententia innotescit magis; qui alibi scripsit (1) Ἄνθρωπος τῃ φυσει συνδυαστικον μαλλον η πολιτικον: *homo nempe conjugale magis, quam Civile animal est*. Posita itaque innata societatis in homine cupiditate, non statim sequitur, inde se hominem Civili Societati composuisse: quemadmodum non bene quis inferret, hominem ad litterarum studia natura ferri, quod irrequieta ejus animi natura *aliquid* perpetuo studeat, circa quod versetur. Animus namque litterarum studiis sæpe abhorrens, infinita sibi comparat a litterarum studiis aliena, quibus quantus quantus est occupatur. II. Innatis quoque desideriis hominumque egestati, abunde per primas Societates & per officia, quæ homini ab hominibus, aut ipso jure, aut humanitate, aut pactis mutuo præstabantur, fieri satis potuit. Unde patet, quam falso ex naturæ status miseriis ac indigentia, homo ad Civilem Societatem factus censeatur. Insulsius autem ab iisdem asseritur, sermonis facultatem, qui extra Civitatem sese non exereret, natu-

(1) Aristot. Lib. VIII. ad Nicom. C. XIV.

turam hominis Civili Societati egregie factam ostendere: siquidem & in Societate conjugali, aliisque *adventitiis*, quæ conjugalem sunt postea consecutæ, satis commode divina prope sermonis facultas, quam homini præ brutis Natura tribuit, potuit exerceri. III. Nullo autem magis validiori argumento istius ratio sententiæ elevatur, quam eo, quod ex ipsa hominis Natura, quæ vitæ Civili valde repugnat, desumitur. Nullum sane animal homine immanius, aut indomitum magis, & quod ad plura vitia, quæ Civilis Societatis rationes omnes perturbant, sit proclivius (1). Proferendarum sane opum cupido, atque honorum immoderata ambitio, cujus sensus hominem quotidie vellicat, hominum animos in Civitatibus enutriunt, eaque malorum omnium στοιχεῖα, hominem omnium pessimum, nedum bonum civem reddunt. Ex opum namque cupidine ingentissima fit, ut fides, probitas, cæteræque bonæ artes subvertantur, ac pro his superbia, crudelitas,

(1) Conf. Puffend. De Hom. & Civ. Lib. II. Cap. V. §. VI. & Op. Maj. Lib. VI. Cap. I. §. IV.

tas, Deum negligere, omnia venalia habere, animum irrepant. Ex ambitione autem mortalium plerique veritati bellum indicunt, falsique fiunt, aliudque in pectore clausum, aliud lingua habent promptum: *amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magisque vultum, quam ingenium bonum habere* (1). Quamobrem hominum quotusquisque natura est bonus civis? Lippis profecto tonsoribusque pernotum Archytæ *apophthegma* apud Ælianum (2), qui, sicut difficile, ait, inveniri piscem, qui sit sine spinis, ita hominem, qui innata vecordia, dolis, aliisque vitiis Civitati pugnantibus, minime scateat.

§. III. Cum Aristotelis exposita modo sententia, cæteris Philosophis haud bene arrideret; rem porro majorem postulare indaginem, reliqui sibi in animum induxere Naturæ Sacerdotes. Hinc quamplures Platonis (3) sententiam secuti, qui homines censuit, ut in Civitatem coirent, ab

(1) Salluft. De B. Catil. Cap. X.
(2) Ælian. Var. Lib. X. Cap. XII.
(3) Conf. Platon. Lib. II. De Rep. pag. 398. edit. Wecch.

ab *indigentia* fuisse permotos. Cui sententiæ illud valde repugnat, quod *Natura sit parvo contenta*; neque eô usque in illo positu, indigentiam processisse censendum, ut infelicitas inde homini crearetur. Ad rem sane facit, quod Grotius noster ait (1): *Lætos parvo atque agiles, non deliciæ enervant, non cura macerat. Ita omnia habent, qui nihil concupiscunt.* Satis autem, cum segreges adhuc agebant homines, vitæ incommodis (quæ nimis pauca tunc extitere) ac egestati cautum erat, inventa agricultura & pecuaria, venatione piscationeque, cæterisque primævis artibus, quas *primæ necessitatis* appellant Philosophi (2). Quamobrem nec, quæ ab his, qui Platonem secuti sunt, *indigentia* ponitur (3), hominibus in Civitatem cogendis propriorem fuisse caussam, apparet. Dies profecto me deficeret, si omnes singillatim, plenaque manu hac de re naturæ Sacerdotum opiniones vellem percensere. Epicurus *casum*; *vim* Lucretius; (unde

(1) Grot. Lib. IV. Hist. Belg. ad An. MDXCV.
(2) Conf. Genes. XIII. v. 2. XXIV. v. 35.
(3) Refutat opinionem hanc quoque Seneca Lib. I. de Benef. Cap. I. & Lib. IV. Cap. XVI.

de fortasse Hobbesius opinionem suam de *bello mutuo* deprompsit); rerum suarum *custodiam* Cicero (1); *Sanctum Naturæ ordinem* J. F. Hornius (2); Familiarum Segregum *infirmitatem* adversus violentiam Grotius (3); multi demum cum Puffendorfio caussam Civitati aptiorem constituendæ *vitæ securitatem* reposuere (4). Quæ Puffendorfii sententia, licet fautorum satis habeat, cæterisque sit dignior, cui plaudatur, suis tamen, ad cæterarum instar, non caret difficultatibus; uti ex doctissimo Titio (5) observare est.

§. IV. In tot interea tantisque erroribus, age, si qua, viam fortuna dederit, sequamur. Equidem velim dumtaxat, ut opinio, quam fero, mihi tantisper, uti mera hypothesis, concedatur. Alioquin scio, quid de hominis ortu, insti-

 tutis-

(1) Cic. Lib. II. De Offic. Cap. XXI.
(2) Horn. De Civit. Lib. 1. Cap. IV. §. 6.
(3) Grotius Lib. I. de J. B. & P. Cap. IV. §. VII. n. 3.
(4) Puff. Lib. VII. de J. N. & Gent. Cap. I. §. 7. & Lib. II. de Hom. & Civ. Cap. V. §. 7.
(5) Titius Observ. ad Cap. V. §. 7. Lib. II. de Hom. & Cive.

tutisque primum Societatibus, christiano vere homini, litterarum divinarum documentis ab ipsis unguiculis bene imbuto, sentiendum sit. Ad rem Cicero (1): *licet, ut vos quoque soletis, fingere aliquid, docendi caussa*. Reminiscantur autem lectores instituti mei; me nempe de caussa homines in Civitatem cogente, id propterea nunc quærere, ut Summæ constitutio Potestatis clarius inde pateat; & quatenus in ea constabilienda Populus etiam nonnihil conferat. Rem autem omnem ita reputo.

§. V. Fuit quoddam tempus, cum homines, experti nondum consuetudinis cum reliquis dulcedinem, in agris bestiarum more vagabantur passim, sibique fœdo victu propagabant vitam; nec ratione animi quicquam, sed pleraque corporis viribus administrabant. Nemo tunc temporis divinæ Religionis, nemo humani officii rationem colebat: nemo sibi nuptias, ex quibus certi a quoquam expectarentur liberi, conciliarat: nemo tandem jus æquabile, quid utilitatis in se haberet, acceperat.

(1) Lib. IV. de Finib. Cap. XIV.

perat. Quæ quidem, ne a me sine exemplo afferi, quis putet: nonnullarum Gentium hic meminisse non piget, quæ hujusmodi vitam jampridem vixere, vel adhuc vivunt. Aborigines profecto apud Sallustium (1), Genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, solutum atque liberum, memoratur: Gætuli & Libyes apud eumdem (2) asperi incultique neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regebantur: & ex eadem Africa multos Mela (3) commemorat, qui in Familias passim & sine lege dispersi, nihil in commune consultabant. Neque vero mihi sè Tesmari sententia probat (4), qui sibi persuasum habuit, Aborigines, Gætulos, Cyclopes apud Euripidem (5) exleges liberosque dici; non quod revera sine omni imperio & lege vixerint, sed sine hujusmodi regimine, quo Gentes utebantur moratiores. Adversus Tesmarum,

(1) Sall. Bel. Catil. Cap. VI.
(2) Idem Bell. Jugurth. Cap. XVIII.
(3) Pomp. Mela Lib. I. Cap. VIII. n. 11. ex edit. Voss.
(4) Tesm. ad Grot. Lib. I. de J. B. & P. Cap. I. §. I.
(5) Eurip. Cyclop.

rum, virum alioquin eruditissimum, facit apprime, quod quamplures etiam nunc Africæ atque Americæ Populi, multique Arabum (1) sine Magistratibus, sine ulla regiminis forma, vagantur exleges.

§. VI. Redeo ad id, quod hujusce meditationis caput mihi fuit. In illo itaque, quem dixi, statu, error dumtaxat atque inertia dominabatur: unde cœca omnino ac temeraria animi cupiditas crepero rationis lumini tenebras offundens spissas, ad se explendam corporis abutebatur viribus, satellitibus nempe quam perniciosissimis. Conflata hinc est quam maxima inimicitia, cædium quotidianarum caussa efficacissima. Quæ silvestris vita, tota fere sensus, victuque ferino deterior, dum viveretur, peropportune inter homines (homines ne dicam an feras?) magnus aliquis vir, Deique munere sapientissimus in publicum prodiit, qui videns quanta opportunitas ad maximas

(1) Conf. Hertium ad Puffend. Lib. VII. Cap. I. §. 7. & Hein. Elem. J. N. & G. Lib. II. §. 100. Conf. etiam *Continuat. des Pensees diverses de M. Bayle artic.* 118. & tandem historiam claris. Bobertson.

mas res, hominum animis inesset, id maxime studuit, quî homines ipsos a silvestri averteret consuetudine, ac ad diversas vitæ rationes traduceret. Quod sane difficillimum negotium, idem ille sensit magnus vir perfici non posse, tacita omnino dicendique inopi sapientia. Quare omnibus dicendi virtutibus, sapientia autem duce usus est, quô *Eloquentiæ* copià, jucunditate, fulminibus obstinatos homines a ferino victu deterreret, palantes in agris, lustrisque abditos, in unum cogeret locum, eosque honesta utiliaque jubens meliores redderet. Tanta vero fuit *Eloquentiæ* vis, ut gravi ratione, suavique silvestres homines oratione commoti, licet primum propter insolentiam aliquantisper reclamassent, studiosius deinde audientes, ex feris & immanibus, mirifice sint commitigati. Hinc factum primo est, ut illi parere homini vere sapienti ac eloquentissimo, ei sese, puerorum in morem, dedere, ejus obsequi studiis, adsuescerent: illius deinde jussu, illo auspice ac duce, Urbes sibi metari, fidem colere ac justitiam retinere discerent: æquari vires, volentesque, ideit non repugnantes, ad Jus descendere;

 com-

communisque commodi caussa, non modo labores omnes suscipiendos, at vitam etiam amittendam, existimarent. Omne autem commodum vel incommodum ex illius magni viri jussibus metiri. Quod, omissis sexcentis aliis, Romuli potissimum exemplo confirmatur; qui primus Gentis Romanæ parens, postquam a Diis auspicatô lectus fuerat, qui nomen Urbi daret, conditamque Imperio regeret, *ut libitum*, *imperitasse* dicitur Tacito (1); *omniaque manu* (scilicet pro arbitrio) *a Regibus gubernata*, tradit Pomponius (2).

§. VII. Quæ aperta brevisque modo exposita narratio, ne commentum alicui fortasse omnino videatur, in memoriam hic lectoribus meis revocare non gravor, Græcos aliquando vitam illam vixisse silvestrem; eosque divinum certe virum magnumque Orpheum (3) singulari quadam orationis suaviloquentia, ad civilem vitam

(1) Tacit. Lib. III. Annal. Cap. XXVI.

(2) Pomp. L. 2. §. I. ff. De O. J.

(3) Scitissime itaque, uti solet, Baconus De Verulamio, Fabulam de Orpheo vulgatam, nec tamen interpretem fidum per omnia sortitam, Philosophiæ universæ imaginem præseferre putavit. *Itaque Philosophia*, inquit, *tantæ rei* (de naturali philoso-

tam ex fœdo victu, truces, feros, inhumanos adduxisse. Mites inde facti, ac in omnibus Orpheo morigeri: quare Horatius noster vere scripsit (1);

„ Silvestres homines, sacer, interpresque Deorum
„ Cædibus & fœdo victu deterruit Orpheus;
„ Dictus ob hoc lenire Tigres, rabidosque Leones.

Quamobrem & Manilius de Orpheo quoque cecinit (2);

„ Et

losophia loquitur) *fere impar; atque idcirco merito mæsta vertit se ad res humanas, & in animos hominum, suasu & eloquentia, virtutis & æquitatis & pacis amorem insinuans populorum cœtus in unum coire facit, & juga legum accipere, & imperiis se submittere, & affectuum indomitorum oblivisci, dum præceptis & disciplinæ auscultant, & obtemperant: unde paulo post ædificia extruuntur, oppida conduntur, agri et horti arboribus conseruntur, ut lapides & sylvas non abs re convocari & transferri dictum sit*. De Sap. Veterum Cap. XI. Tom. I. in fol. Pag. 1263. edit. Francof. ad Moen. An. 1665.

(1) Horat. in Arte Poetica.

(2) Manil. Lib. V. Astronom.

„ Et ſenſus ſcopulis & ſilvis addidit
aures.

Hinc apud eoſdem Græcos homines, quibus unaquæque olim Civitas erat Reſpublica, Civitatem ii ſæpe curabant, qui forent eloquentiſſimi, quique Populo rationibus æque ac oratione imponebant. Is procul dubio fuit Lycurgus, Solon, Draco, cæterique. Unde apud eos nata & progreſſa longius Eloquentia, maximis poſtea in rebus Pacis & Belli, cum ſummis hominum utilitatibus, verſata perpetuo fuit. Quæ utinam feliciora tempora ad nos tandem remearent, quibus Eloquentia adeo vileſcit, ut quiſque nebulo vappaque eam pili faciat! Fortaſſe tunc ſinguli, qui Eloquentiæ operam dedimus obſtinatam, Populus, fruges nati conſumere, non eſſemus.

§. VIII. Ex qua dilucida anteactæ hominum vitæ narratione, conſilium in Civitatem coeundi, non ab ipſis patet hominibus captum, qui tantæ cœptandæ rei impares omnino erant: at ab externa quadam cauſſa, ſingulari Dei munere ſupra mortales cæteros, per ſapientiam evecta; quæ *Eloquentiæ* ope ſilveſtres homines

mines ſegregeſque in Civitatem coegerit. Quare mihi facile perſuadeo, *originariam cauſſam* in Civitatem coeundi, fruſtra in ipſis hominibus quæri; ex conſultatione aliqua inter ipſos primum habita, cui per ſe ipſi non ſufficiebant: eam vero eſſe ſine dubio *externam*, neque potiorem aliam *Eloquentia*, aut efficaciorem comminiſci ullum poſſe. Quamobrem puto, poſtquam hominum ratio excoli cœpit, Civitate jam bene compoſita ex voluntate Dei omnia ſuaviter diſponentis; homines deinde veluti *ex poſt facto*, tam ſalubri inſtituto plauſiſſe, multaſque porro *derivativas*, ut ita dicam, commentos fuiſſe rationes, quibus Civitas ipſis magis magiſque probaretur. Hinc putarunt alii, experimento *infirmitatis* familiarum ſegregum, Civitate jam compoſita, bene ſibi adverſus *violentiam* cautum; alii vero, alia aggredientes via, *vitæ ſecuritatem*, *rerumque ſuarum cuſtodiam*, pro tam ſalubri confirmando inſtituto, rationes felici conatu reddiderunt. Quæ quidem, niſi me animus fallit, non ſunt cauſſæ ex parte Populi, quæ Civitatem anteceſſerint; at ſunt potius Civitatis jam bene conſtitutæ conſectaria.

§. IX.

§. IX. Fateor autem, magnum illum quem dixi, virum, cujus ope Deus homines in Civitatem nolentes traxit volentesque duxit, omnes hasce animo caussas reputare secum potuisse. Quippe erat ille omnium maxime sapiens, Deique numine afflabatur propiori. Quod, ne commentum quoque alicui fortasse videatur, placet hic nonnullas meditatum afferre rationes, quibus fiat verosimile. Deus itaque O. M. Naturæ auctor, qui homines creavit, noluit eos perpetua infelicitate macerari; curavit autem aliquando, eosdem a misera silvestris vitæ conditione sublevare, consociare mutuo inter sese, ac in unum congregare locum. Quae profecto divina ordinatio hominum generi profutura diversis de caussis, ut effectum tandem suum consequeretur, id curavit quoque perfecitque, ut aliquo temporis intervallo magnos aliquos ex humili extolleret viros, quorum ope multitudinis commoda compararet. Et sane quî fieri alioquin potuisset, ut dominante inter populos crassissima omnium inscitia, aliquis tamen inter ipsos sapientia floreret, quo duce Populus quisque de malis minima pateretur? Hinc credidere veteres e Jovis cerebro Miner-

nervam, sapientiam scilicet, prognatam; quasi nimirum nemo sapiens esse umquam possit, nisi Dei spiritu afflatur. Quare Cicero scripsit (1): *Nemo magnus sine aliquo afflatu divino umquam fuit.* Homerus quoque (2)

„ . . . . ου νυ τ' αοιδοι
„ Αιτιοι, αλλα ποθι Ζευς αιτιος, ος τε διδωσιν
„ Ανδρασιν αλφηστησιν οπως εθελησιν εκαστω.

„ . . . . Non sane Poëtæ
„ In caussa sunt; sed interdum Ju-
„ piter in caussa est, qui suggerit
„ Viris Ingeniosis, ita ut vult, unicuique.

Poëtarum vero nomine apud Gentes non ii solum, qui carmina pangebant, sed viri quique sapientes, procurandæ hominum facti beatitudini intelligebantur; iique pro sacris, vulgo *inspiratis*, habiti. Quod de Homero ipso creditum a veteribus (3) & Orpheo potissimum, quem ex vetusta tradi-

(1) Lib. II. De Nat. Deor.
(2) Lib. I. Odyss. v. 345. et seq.
(3) Vid. Philostrat. Lib. II. Imag. & aliis;

ditione, ανδρα ομολογημενως οσιῳ χρησαμενον πνευματι, *virum sine controversia sancto afflatum spiritu*, Celsus vocabat apud Origenem (1). Horum procul dubio magnorum virorum ope, ac valde sapientum usus est Deus, Populorum commodis consulturus. Quare & Plato (2) de hujusmodi sapientibus loquens; ο δε θεος, inquit, δια παντων τετων ελκει τὴν ψυχὴν οποι αν βουληται των ανθρωπων; *Deus autem per omnes istos trahit hominum animum quocumque vult*. Quod ut clarius explicet, *Magnetis* utitur exemplo ibidem. Hinc Tullius (3), *omnes*, inquit, *antiquæ Gentes Regibus quondam paruerunt. Quod genus Imperii primum ad homines justissimos & sapientissimos deferebatur*. Quæ omnia paucis observare collibitum modo fuit, tum utne commentum omnino crederetur, quod de *magno illo viro*, quem nemo fortasse novit, antea dicebam; tum ut hinc facile constaret, Deum *primario* Civitatem curasse. §. X.

(1) Orig. Lib. I. c. Cels. P. 14.

(2) Platon in Jon. Pag. 363. ex edit. Marf. Ficini.

(3) Cic. Lib. III. De Leg. §. II. ex edit. Ernesti.

§. X. Luce interim clarius patet ex iis, quæ hactenus sum brevi commentus, Civitatis caussam haud in ipso populo quærendam, qui per se in societatem Civilem coiverit ex antecedenti aliqua animi consultatione: sed potius in caussa aliqua externa, quæ Dei Numine excita, Populum, illo, quo dictum est, modo, in unum ex tectis silvestribus, locum cogeret, ac in mutuam amicitiam dissociatum antea, conciliaret. Quod non modo *Eloquentiæ* ope perfectum, at ipsa quoque adjuvante natura, quæ homini erga hominem magnum amorem insevit. Quamobrem ex magna inimicitia, maxima hinc pedetentim coorta est familiaritas. Ad rem vetus ait Comædia (1)

. . . . sæpe ex hujusmodi re quapiam, &
„ Malo ex principio magna Familiaritas
„ Conflata est . . . . . .

Quod Romanorum Sabinorumque perspicuo patet exemplo (2). Hominum porro inimicitia, minime ex Natura hic derivatur, uti Hobbesius censet; verum ex mala silvestris

(1) Eunuch. Act. V. scen. II.
(2) Liv. Lib. I. in vita Romuli.

vestris vitæ consuetudine, quæ homines ipsos in barbariem pessumdedit, officiis cujuscumque generis valde adversam. Quare rationes mihi melius subducenti duæ præcipuæ videntur, Civitatis constituendæ, fuisse caussæ, quas appellarem *originarias*, *positivam* unam, alteram *negativam*. Illa nempe ex parte caussæ externæ homines in Civitatem cogentis: hæc vero ex parte populi; cujusmodi fuit *Barbaries*, quæ se *Eloquentiæ* nativis, non fucatis illecebris, subigi passa tandem est, ut populus in Civitatem aliquando coiret.

§. XI. Hinc vero maxime constat, quam male Grotius (1) scripserit, Civitatem esse *ordinationem humanam*, uti & Summam Potestatem Civilem, quam ex Civitate originem duxisse, cum multis censuit. Ex hactenus dictis clarissime colligitur, Civitatem non minus, quam Summam Civilem Potestatem esse opus Dei, qui utraque, singulari cura ac divina vere industria, ordinavit. Ea vero Summa primum Civilis Potestas angustis limita-

ta

(1) Grot. Lib. I. De I. B. & P. Cap. 4. §. VII. n. 7.

ta cancellis, non ex vi quidem ipsius Potestatis, quæ valde ex Dei consilio porrigitur, sed ex rerum gerendarum inopia, cum Civitate ipsa longius tandem progressa est. Nam quemadmodum Civitate factum, ut Gentes ex mutua inimicitia, quæ propter vetustatem, naturæ vim jam fere obtinebat, defatigatas, mutuus isque vehemens exciperet amor; ita de obsequio, Principi illi magnoque viro, qui primus Civitatem instituit, ac maximorum bonorum auctor extitit (1), quique ex anteactæ vitæ miseriis in beatiorem homines vitam evexerat, præstando, inter se veluti certarent atque ad eum sese converterent, illudque unum inter se pacisci, ipsa parendi consuetudine sibi viderentur; præcellenti nempe viro illi, tamquam a Deo misso facile in omnibus obtemperare. Quid enim præterea ab hominibus præstari ignavis rudibusque poterat, quam obsequium? Obsequium autem est declaratio quædam, quæ fit rebus ipsis ac factis, subjectione nempe voluntaria, sive

F non

(1) Conf. Aristot. Polit. I. Cap. II.

non repugnanti, adversus eum, cui creditur, ex voluntate Dei, tamquam præcellenti, Summam in Populum Potestatem, competere. Ad rem Augustinus (1): *Generale*, inquit, *pactum est societatis humanæ*, *Regibus obedire*. Unde Livius (2): *Imperii vis omnis in consensu* (*consequenti*, scilicet, non *antecedenti*) *obedientium est*. Quod recte se habet: obedire namque societatis est, cum quisque sociorum per se obedientiam Regibus præstare possit ac teneatur; ac *Plebs nascatur parendo*, ut sæpe Plato inquit (3). Unde patet quod antea dicebam, Regem proprius loquendo, Populum numquam *jubere*. Cum itaque Civitas non quidem a Populo ortum habeat; Summa etiam Potestas Civilis non a Populo, at a Deo *primario* manabit. Quamobrem Summæ Potestatis Civilis subjectum proprium erit Princeps; subjectum autem commune non erit Civitas, nisi eo quidem sensu, quod e Ci-

(1) Augustinus Lib. III. Confess. Cap. VIII. Conf. Grat. Dist. 8. Can. 2.
(2) Liv. Lib. II. Cap. LIX.
(3) Conf. Arist. Lib. I. Pol.

e Civibus unus in Principem eligendus sit ex Dei consilio, qui rem publicam administret. Falsus itaque est Grotius, qui Civitatem eo quidem sensu Summæ Potestatis *commune subjectum* (1) appellat, quod Civitas sit proprius fons, unde Principalis scateat Potestas. Pluribus autem hæc non moror. Ad reliqua aggrediar.

(1) Grot. Lib. I. De I. B. & P. Cap. III. §. VII. n. 3.

CAP. VI.

De Lege Regia differitur. Nonnihil hic etiam novi affertur. Gravinæ sententia non minus, quam Hotomanni refutatur. Eam vero, licet ponatur a Pop. Rom. latam, Auctoris sententiæ minime repugnare, demonstratur pluribus. Puffendorfius refellitur. Hobbesii notiones quædam, rei, qua de agitur, accomodantur. Themistii insignis locus propositam sententiam exornabit.

§. I. EOrum plerisque, qui Regiæ Potestati favent, a Deo ἀμέσως eamdem repetentibus, negotium *Lex Regia* (1), qua Populus Romanus Augusto suum Imperium & Potestatem omnem concessit, maximum facessere videtur. Ipsemet vir clarissimus Petrus De Marca (2) ingentis rem esse difficultatis vidit; neque dubitavit tamen asserere, Po-

(1) Instit Lib. I. Tit. II. De I. N. &c. §. 6. & Ulp. L. I. D. De Constit. Princip. Conf. Polyb. §. 6.

(2) Lib. II. De Concord. Sac. & Imp. §. II.

Populum R. juri ſuo ceſſiſſe, quod in Auguſtum tranſcripſit. Quæ ſi vera forent, non video, quî ſuæ inhæreat ſententiæ, quam ſuperius exponebam. Neque ſi verum eſt, quod ibidem ex Auguſtini ac Tertulliani ſententia idem Auctor affirmat, Deum nempe pactionem illam Populi ratam habuiſſe, eumque potius, quam Populum, feſſæ bellis Civilibus Reipublicæ adminiſtrationem Auguſto detuliſſe: poterit inde confici, quod Summum Imperium Deus αμεσως detulerit; cum non idem ſit, ratum aliquid habere, ac per ſe ipſum, aliquem αμεσως nonnihil patrare. Profecto, ſi Deus ratam Populi R. pactionem habuit, probavitque, ut unum corpus unius ſpiritu regeretur, Populi factum, Dei ratihabitionem probationemque anteceſſit, adeoque non a Deo αμεσως Imperatoria Majeſtas, verum a Populo originem trahet. Quibus poſitis equidem non intelligo, quî ſibi vir conſtet clariſſimus, nec quî ingentem difficultatem exſorbuerit. Quamobrem liceat mihi, quæ hac de re etiam ruſticans olim egomet mecum, paucis exponere.

§. II. Enimvero, ſi in eorum iviſſem ſententiam, qui ajunt Summam

Potestatem a Deo ἀμέσως manare, id mihi dedissem dumtaxat negotii, ut *Legem Regiam*, impudentissimum veluti Triboniani commentum, traducerem. Quamplura mihi adjuvandæ huic sententiæ argumenta suppetiissent, quæ cuivis de trivio clarissimi suppeditant Martinus Schookius (1) & Janus Vincent. Gravina; cujus præcipue clarissimum in refutanda hujusmodi Lege (quam *Regiam* commentus est Pomponius, sive quisquis Pomponii ac Ulpiani nomine, eam primus servientibus jam ingeniis imperitisque obtrusit), illuxit ingenium. Neque a me ipso impetrassem umquam, ut Ulrici Huberi (2) sententiæ, ejusque fautorum aliquo concederem pacto; qui ut Gravinæ ingenii famam auferrent, *Legem Regiam* sub Augusto latam quovis pignore contenderunt.

§. III. Ne me autem longiorem fortasse faciam, quam oportet; quî fieri umquam potuisset, ut nullus veterum Rei Ro-

(1) In Diatrib. De Leg. Trib. & Gravina Lib. sing. De Rom. Imp. Cap. XXIII.
(2) Ulr. Hub. Observat. Jur. Civ. Lib. I. Cap. XVI. & seq.

Romanæ Scriptorum, qui in minutissimis quibusque rebus describendis, nimia, &, ut cum Comico loquar, *obscura* usi sunt *diligentia*, de hujusmodi Lege, quæ Civitatis statum penitus immutaverat, nullum verbum, ineptum saltem, falsum, iniquum mutiisset? Neque, si apud unum Dionem Cassium mentio de *Lege Regia*, aliquo injici pacto videatur; recte illinc conficietur, revera Dionem de *Lege Regia* prolocutum. Namque, etsi nobilissimus hicce Historiæ Romanæ Scriptor, Imperium ad Augustum rediisse (1) scribat, postquam hic se tantæ regendæ imparem moli, in senatu professus palam fuerat, ab eoque tempore ακριβην μοναρχιαν κατεστην *perfectam Monarchiam constitutam*: ab eodem tamen Romanarum rerum Scriptore nobilissimo, Imperium patet fuisse postea ad decem annos, eoque temporis intervallo exacto, per lustra, tum demum rursus per decennia, quo usque vitam vixit, ab Augusto receptum. Quæ frustra Augustus callidas compa-

 ran-

(1) Leg. Dion. Cass. Hist. Lib. LIII. Patet ex Alex. ab Alex. Gen. Dier. Lib. I. cap. XXVIII. *Cæsares diademate minime usos*; quod Romæ omne decus Regium perpetuo intolerabile fuit. Hæc *Legi Regiæ* quî convenient? Conf. Cic. Philip. 2.

randi sibi Imperii Artes adhibuisset, ne P. R. unius dominatum perpetuo exosus, sibi forte viam ad Regnum sub Libertatis imagine affectanti, pro virili adversaretur aliquando; si sponte sua ac nemine cogente (nisi communi, quam nonnulli cum Tacito jactant, utilitate) Populus ipse, ordoque simul Senatorum amplissimus, Augusto summam rei gerendæ Potestatem detulissent. Quod magis quidem ex eo patet, quod Populi comitia sub Augusto integra mansere usque ad Tiberium; qui licet sero, comitia tandem e campo transtulit in Curiam (1): quod P. R. satis aucto, difficile erat, comitia apud Forum amplius agitari, ait Pomponius (2). Accedit ad hæc, quod Senatusconsulta ad Divum Hadrianum usque, imo ad Antoninum usque Caracallam condita: cujus ætate Senatusconsulta de Jure etiam privato condi desiere, ac Imperatores Edictis suis Rempublicam jam servientem serviendoque suetam, in Regnum, invita certe Republica, convertere sunt conati. Hisce, in-

(1) Tacit. Lib. I. Annal. Cap. 15.
(2) L. 2. §. 9. D. De Orig. Jur.

inquam, quas brevi expoſui, aliiſque rationibus non minoris momenti, *Petri de Marca* ſententiam amplexus, *Legem Regiam* e medio ſuſtuliſſem, ne ullum inde mihi ſententiæ meæ tuendæ negotium crearetur; neque lex me ipſa facile diſtuliſſet: aſt aliam mihimet viam implicatiori extricandæ quæſtioni jam ingreſſo, ipſam *Legem Regiam* ex uſu mihi fore reputavi, neque ullum volui mihi in ea, ſententiæ, quam propoſui, confirmandæ, commodum claudier. Quamobrem, ut rei alioquin obſcuriſſimæ aliquid affulgeat luminis, rem ita ſtudeo componere.

§. IV. Nullus mihi primum dubitandi relinquitur locus, *Legem Regiam*, non ex Romanorum quidem inſtitutis, quibus antea, ut Gravina (1) inquit, *vel ignorabatur prorſus, vel vera ſub ſpecie, nempe ſub facie veteris Reipublicæ atque ſub libertatis imagine, offerebatur*, originem duxiſſe: at ſenſim rebus ipſis ac factis, Summa Poteſtate in unum translata Imperatorem, nomine tenus Tribonia-

(1) Lib. Sing. De Rom. Imp. Cap. XXIII.

nianum eam finxisse, vel, si mavis, Ulpianum. Ecquid enim Ulpianus Alexandri Severi ætate, Principatu jam quaquaversum obfirmato, nequivit Populi *consuetudinem*, qua unius Imperatoris providentiæ tutelæque innixus, ei & in eum, omnem Reip. bene gerendæ curam, reipsa Populus transtulerat, pro scribentis vel potius de jure respondentis arbitrio, præsente nota signato nomine; nequivit, inquam, illam *consuetudinem*, *Legem Regiam* nominare? Alioquin & *consuetudo* lex est; *nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur* (2).

§. V. Quæ ne aliquis fortasse me omnino comminisci etiam putet; liceat ea modo paucis, perspicuis historiæ monumentis confirmare. Ulpiano itaque (nam Tribonianum hujusce legis auctorem non facio) exinde *Legis Regiæ* fingendæ occasio forte nata; quod Senatus, in quem ex Tiberii calliditate (quam antea arguebam) Populi omne jus, sublatis e campo Comitiis, translatum, Imperatores Imperii curam suscipientes, animo ser-

(2) Lib. 1. Instit. Tit. II. §. 9.

servituti jam assueto ac degeneri, multis augere *prærogativis* consueverat (1). Apposite de Vespasiano Tacitus (2), inquit: *tum Senatus, omnia Principibus solita, Vespasiano decrevit*. Quamobrem ex hujusmodi Senatusconsultis, quæ longo temporis intervallo in magnam excrevere molem, factum censeo, ut omnibus sensim Imperatoria Majestas honoribus muniisque aucta, armis decorata foris, legibus armata domi, summa tandem evaserit ac infinita, neque extinctæ jam libertatis simulacrum aliquod, nec ullum Civitatis omnium liberrimæ vestigium manserit. Inde *Lex* Ulpiano, nisi fallor, primum *Regia* composita; qua recenti indicio sive novo vocabulo, rem Populo jampridem servienti notissimam, monstravit. Itaque non intelligo prorsus, cur misellus Tribonianus, Gravinæ cæterisque de Hotoman-

(1) Leg. Gronov. In Orat. De Leg. Regia.

(2) Tacit. Hist. Lib. IV. Cap. III. Senatusconf. pro Vespasiano conditum, primus, quem sciam, ex Tab. Ænea Capitolina in lucem edidit *Franciscus De Albertinis De Mirand. Vet. Rom.* Lib. II. & ex eo Grut. in Vet. Inscript. corpus transtulit. Gravina tandem citato lib. Cap. XXV. & seq. accurate ac per membra idem Senatusconsultum perpendit.

manni grege, vapulet tam acriter; nec quî (multis licet præterea nominibus inter perfrictæ frontis homines Suidæ habeatur in *Lexico*, ac Procopio in ἀνεκδότοις) hujusce Legis obtentu, tamquam assentatorum omnium impudentissimus a Gravina præcipue traducatur.

§. VI. Ex eo tandem (ut reliqua missa faciam, quæ non sunt hujusce loci, quæque alibi a nobis, auspice Deo ac volente, fusius tractabuntur) hujusce Legis *fictionem* Triboniano equidem non appingo: quod Triboniani ævo, Summa Potestate jam Imperator Romanus pollebat, neque amplius erat, qui viderat Rempublicam. Tum condendarum Legum facultas, propria jampridem Imperatorum evaserat; & ab ipsa feliciori Theodosii ætate, Imperiales Sanctiones in unum corpus collectæ, facultati Imperatoris νομικῇ, præsidium satis tutum comparaverant. Quinimmo & Imperatores omnes Ethnici ab Adriano ad Constantinum Augustum usque, hujusmodi facultatem, nemine profecto adversante, fecerant suam. Quare nihil erat, cur hanc *Legem Regiam* fingeret Tribonianus, quam in Librorum Juris vestibulo præfigeret, ut ali-
quid

quid hoc mendacio, novæ legum lationi ſuoque Principi, cujus Imperium jampridem, æterna fuerat in baſi conſtitutum, præſidii, compararet. Quod ſi vero umquam ſimile foret, de Ulpiano potius rectiusque affirmaretur, ſive de quovis Reipublicæ temporibus proximiori Juriſconſulto; qui hanc *Legem Regiam* ea ratione poterat effingere, ut Juris amatores veteris Legislationis obliti, Principum placita, tamquam Leges ſuſpicerent, ac præter opinionem hamum vorarent; novorumque Legislatorum fraudes, veteri Juriſconſultorum doctrina contempta, ad recentioris Regni Imperiique uſus imbiberent. Quod de Triboniano temere aſſeritur.

§. VII. Quibus poſitis, quivis facile inferet, Populum Romanum, quæ noſtra quidem ſententia eſt, *Legem Regiam*, minime tuliſſe; at ex Juriſconſultis neſcio quem, ut impudentiam, cum extaret adhuc publicæ libertatis memoria, aliquo colore ſuffunderet, antecedentibus ipſius Populi factis ac rebus, eamdem nomine tenus ac de induſtria ut publicæ rei firmaretur mutatio, quæ ſenſim proceſſerat, Principum cauſſą effinxiſſe. Qua poſi-

posita sententia, nihil inde fraudis, alteri nostræ sententiæ de Summa Potestate Civili a Deo derivanda struetur, ut *Petrus de Marca* putasse mihi videtur superius adducto loco. Populus namque Romanus, cum Summam Potestatem in Principem contulit, non considerandus omnino venit, quâ Populus; (quod pergravi huic quæstioni caput est); at habendus potius, uti Populus Summa Potestate præditus, qui ex dominii natura, Summam ipsam Potestatem, ut cæteras Imperii res, poterat in eum, cui vellet, transferre, sive etiam alienare, per *actum* nempe *negativum*. Quod, quî fieri potuerit, ita nunc ab ipsa Summi imperii divisione, quam Lipsius tradit, aggredior explicare.

§. VIII. Imperium nempe triplex est, *Principatus*, *Optimatus & Populi status* (1): namque ut bene Tacitus (1) inquit; *cunctas nationes & urbes, Populus, aut Primores, aut Singuli regunt*. Procul autem omni dubio, quo primum tempore in Augustum, vel in alium quemvis Impe-

pe-

(1) Lips. Polit. Lib. II. Cap. II.
(2) Tacit. Lib. III. Histor.

peratorem a Romanis Summum Imperium translatum est, Romana Gens a cuncto Populo, penes quem Summa rerum erat, regebatur. Quamobrem pro summo, quo pollebat jure, potuit Populus R. Summa semetipsum Potestate viduare, virumque designare tanto Imperio non imparem gubernando; in quo statim Deus, priori extincta, qua Populus gaudebat, summam de integro Potestatem crearet. Itaque sic censeo, Populum Romanum, cum e re publica visum fuit, a Rep. administranda abstinuisse, Augustique personam designasse dumtaxat, in quem præeunte Dei consilio ac voluntate, omnis Populi potestas transferretur. Ad rem Ammianus Marcellinus (1): *Ideo Urbs venerabilis post superbas efferatarum Gentium cervices oppressas, latasque leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, veluti frugi parens & prudens & dives, Cæsaribus, tamquam liberis suis, regenda Patrimonii jura permisit*. Et re quidem vera, quomodo Populus Summam Augusto Potestatem tribueret, quam ipse per se non

(1) Amm. Marcell. Lib. XLV.

non possidebat æternum duraturam, quaque ad tempus tantum utebatur? Quare Ammianus inquit, *permisit* . Facit hìc Scholasticorum illud: *nemo dat, quod non habet, neque plus quam habet* . Pop. itaque Rom. Summa recte usus est Potestate, quô usque Principi illi Deo, qui cuncta in Mundo gubernat, *qui rerum vicissitudines ordinesque* (1) *conservat*, *hominum commoda vitasque tuetur*, quique omnis Potestatis genuinus ipse fons est ac scaturigo; quô usque, inquam, principi illi Deo ac sapientissimo, summam Reip. curam, Populo arrisit committere. Cum vero a parvis incœpta initiis Res Romana adeo crevisset, ut magnitudine jam laboraret sua, suisque viribus ipsa rueret; factum demum est, ut Pop. a Rep. gerenda abstinendum sibi putaverit, Principemque statim designaverit, qui Summa a Deo rei communis administrandæ Potestate accepta, Rempublicam unus ipse, ουχ ὑπεύθυνος, gubernaret.

§. IX. Deus itaque Augusto Imperium *primario* concessit, *secundario* autem ac

(1) Cic. Lib. I. De Nat. Deor.

ac ἀμέσως Pop. R. tum *designando*, cum *abstinendo* : per actum videlicet *negativum* ac *positivum* simul. Quos duo Populi actus *Lex Regia* complectitur : posita namque hac Lege, Pop. R. Summa Potestate sponte ipse sua, sibi deinceps *abstinendum* imperavit, (in quo *alienationem* pono, ut pluribus infra) simulque Imperatorem *designavit*, qui posthac Reip. præesset. Quæ quidem *designatio*, licet sit quid *positivum*, ut cum scholis loquar; non hujusmodi caussa tamen est, quæ Augusto Summum una Imperium contulerit. Quod illinc equidem arguo. Summa Potestas, quam Populus moderandi ac regendi sui gratia, Augusto, quasi quasdam habenas, tradidisse putatur, non potuit sane in Augustum transferri prius quam eá se Populus privaret, quia tunc Populi status integer adhuc manebat, neque uni adhuc totius ratio rei constabat: eamdem vero Augustus a Populo, post abdicationem, consequutus profecto non est, cum nemo quod amplius non habet, alicui tribuere facileque possit elargiri. Quæ quidem *dilemmatis* rationes, quæ utrinque Monarchomachis pariunt incom-

modum, clarissimo licet Puffendorfio (1) ad palatum non sint, magnopere me tamen juvant. Inde namque non sequitur, quod ipse putat, dominia rerum ab uno transire in alium non posse. Siquidem cæteræ res, quarum quisque dominium per se *absolute* habet, jure alienari in alium possunt, accedente nimirum traditione, qua fit, ut dominium ex Jure occupationis translatum censeatur. Res enim statim ac traditur, a novo Domino occupatur: contra hæc summo abdicato Imperio, nemini tradi illud potest, cum res incorporea sit, neque traditioni obnoxia, ex Stoicorum disciplina. Quare Deus in novum Imperatorem Imperium contulit, quem Populus, movente interius ac jubente Deo, designavit. Itaque per designationem Populi Augusto facta non est Summa Reip. gerendæ Potestas: eam vero Imperator felicissimus a Deo præcipue

(1) Lib. VII. Cap. III. De generat. Sum. Imp. Civ. §. VIII. Obiter hic notandum, & Sam. Puffend. proxime ad Monarchomachorum sententiam accessisse. Posita siquidem, ait, sententia de Potestate Regum a Deo derivanda, *omnes* convelluntur leges *Fundamentales*. Puff. Lib. VII. De J. N. & G. Cap. III. §. 3. Quod falsum esse, inferius abunde ostendetur.

pue recepit; ejusque porro nutu ac potestate ad posteros usque transmisit. Alioquin ex vetusti etiam fœderis patet monumentis, Samuelem (1) Regem Saulem designasse, Deum vero antea eumdem elegisse. En ipsamet Dei verba: *Et ait Samuel ad omnem Populum, certe videtis* (Saulem autem indigitabat), *quem elegit Dominus*. Unde Seneca (2) in Thyeste: *Nec abnuendum est, si dat Imperium Deus*; & Cicero adversus Catilinam vere etiam dixit (3): *Urbem Deorum immortalium nutu atque potestate administrari*.

§. X. Quæ de alienatione vero superius indicabam, liceat nunc mihi præfinito loqui. Ad pauca ut redeam, haud dubium est, Summam Potestatem a Deo præcipue manantem, veluti e fonte rivulum, ejus propriam fieri, cui Deus, quæ sua est beneficentia singularis, largitus semel fuerit. Quare & Populus Romanus Summæ Potestatis arbiter dominusque maxime proprius, eadem a Deo accepta pleno utebatur dominio. Itaque

(1) Reg. I. cap. 11. & Reg. 4. cap. 9.
(2) Act. III. v. 471.
(3) Cic. III. in Catil. XVIII.

Livius sæpe scribit (1): *Non in regno Pop. Rom. sed in libertate esse*; & Tacitus (2): *Urbem Romam ab initio Reges habuere; libertatem & consulatum L. Brutus instituit*. Cicero autem dixerat (3): *Aut exigendi Reges non fuerant, aut Plebi re, non verbis, danda libertas*; unde & Livius alibi quærit (4): *Est ne Populus Collatinus in sua potestate?* Quamobrem cum Pop. Rom. nemini obnoxius, liberque esset, jure poterat eamdem Summam Potestatem aut totam, aut ex parte in alium transferre, jus nempe perpetuum semet regendi, qua Populus erat, alienare (5); cum ea sit proprietatis indoles, uti Aristoteli placet (6), οταν εφ' αυτῳ η απαλλοτριωσαι; *ubi penes nos jus est alienandi*. Illud autem, nisi fallor, Pop. Rom. interest aliumque Populum, qui Summa Potestate non fruitur; quod hicce nequit, neque per *actum negativum*, Summam Potestatem alicui concedere; quam

(1) Lib. II. cap XII.
(2) An. I. Cap. I.
(3) Lib. III. de Leg. cap. X.
(4) Lib. I. Cap. XXXVIII.
(5) Grot. Lib. I. Cap. III. §. XII. n. 2.
(6) Arist. Lib. I. Rhet. V.

quam non habet: Pop. vero Rom., penes quem summum erat Reip. regimen curaque, potuit saltem *indirecte*, se ab Imperio abstinendo, alienationi cuidam præbere locum, quæ in patiendo poneretur unius dominatum: quam quidem alienationis speciem Jurisconsultis Rom. probari etiam intelligo. Profecto patet ex Paulo (1), eum quoque alienare, qui patitur Jus suum ab altero usucapi, nec non, qui, non utendo, amisit servitutem.

§. XI. Populus itaque Romanus eo quod passus est, Summum Imperium ab Augusto usucapi, illud mihi videtur alienasse; Qua *indirecta* quidem alienatione, de jure suo tantum decessit, quod Augustus subito occupavit; illudque præstari a Populo sane poterat, cum esset *actus negativus*. De Jure nempe suo decedere quis dicitur, qui vel *simpliciter* juri suo renuntiat, vel qui illud in alium transfert. Age autem videamus, qui intelligatur, aliquem, duobus hisce, quos dixi, modis, de jure suo decessisse. *Simpliciter renuntiat*, qui *signo vel signis de-*

 cla-

(1) L. 28. D. de Verb. signif. & L. 3. D. De Fund. dot.

clarat idoneis, velle se, non licitum sibi amplius fore, certum aliquid facere, quod jure antea fecisse poterat: transfert autem in alterum, qui signo vel signis idoneis illi alteri, id juris volenti ab eo accipere, declarat, velle se, non licitum sibi amplius fore ipsi resistere, prout ei resistere jure antea poterat: Quæ quidem definitiones rectissime rei, quam tracto, conveniunt; licet earumdem definitionum auctor (1) aliô easdem convertat. Profecto P. R. hæc duo simul præstitit, *Legem Regiam* condendo; simpliciter nimirum juri suo *renuntiavit*, illudque in Augustum *transtulit*, qui signo etiam idoneo (cum in alienatione actus voluntatis internus non sufficiat, ceu Grotius (2) observat) illud juris velle se etiam accipere monstraverat: *Transferendo* autem Imperium, P. R. signis idoneis declaravit, velle se non licitum sibi amplius fore, illi uni resistere, cui antea resistere jure poterat. Quæ de P. R. Summa prædito Potestate bene afferuntur, non autem de quo-

(1) Hob. de Cive Cap. II. §. 4. pag. 10. edit. in 12.

(2) Grot. Lib. II. De J. B. & P. Cap. VI. §. I.

quovis Populo, five de diffociata quavis multitudine, quæ illud juris non habet.

§. XII. Clare interea ex hactenus dictis conficitur, *Legem Regiam* noftræ fententiæ fraudi non valde futuram. Pofito fiquidem, quod P.R. Summam in Auguftum tranftulerit Poteftatem, jure potuit illud efficere, at per *actum negativum*, quatenus nempe a fummo Jure, quo fruebatur, abftinuit, ac quatenus paffus eft, illud Jus ab Augufto ufucapi, ex Dei confilio, a quo dumtaxat Poteftas Summa eft Principibus expectanda. Qui nempe Imperium alienat, Summa de Poteftate decedit, juri fuo renuntiat, eumque tantum defignat, (five per teftamentum, five per donationem, five per pactum, five per occupationem Imperium transferatur) in quem Summa conferatur Poteftas: Deus autem præfto eft, qui eamdem Perfonæ tribuit defignatæ. Appofite Themiftius ad Imperatorem alloquens (1): Μη οιεϑε τυς στρατιωτας κυριυς ειναι τηλικαυτης χειροτονιας, αλλ' ανωϑεν αυτη κατεισιν η ψηφος, ανωϑεν η αναρρησις τελειυται ταις των ανϑρωπων διακονιαις. *Neque vero exi-*

 fti-

(1) Them. Orat. XVI.

stimetis, vestræ hujus electionis milites esse auctores. E superis illa suffragatio descendit; e superis illa Imperii renunciatio, hominum dumtaxat opera accedente, perfecta est. Ad rem quoque Augustinus (1): *Qui Augusto Imperium dedit, ipse & Neroni &c.* elegantius autem, magisque perspicue Tertullianus: *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, unde & spiritus.* Quæ sententia eo magis exemplo confirmatur, quod ab electione Magistratuum petitur. In plurimis nempe municipiis Magistratus a Populi ordinibus eliguntur: illi tamen potestatem suam non ab istis consequuntur ordinibus, sed a summo quidem Imperante. Ubi notandum oppido est, Summum Imperantem hac in specie *non immediate, at primario*; Populi vero ordines *ἀμέσως, at secundario* per ipsam electionem; Magistratibus conferre potestatem. Quæ sufficere quidem puto propositæ enodandæ difficultati, quæ ex *Lege Regia* nonnullis creatur; ex qua non crediderim quemvis Regium devotum cultorem, alia via expeditius emersurum.

CAP.

(1) Aug. Lib. V. De Civ. Dei Cap. XXI.

CAP. VII.

J. F. Hornii ſententia, de Summæ Poteſtatis Civilis cumulatione cum Poteſtate Divina, refellitur. Id Pantheiſticum eſſe demonſtratur. Pluribus autem profanorum Scriptorum teſtimoniis, ac Sacrarum Litterarum auctoritate, Poteſtatum υπαλληλισμος, quem aſſerit auctor, confirmatur. Auguſtini ſententiæ commendantur præcipue, factumq. quod narrat Herodotus.

§. I. EQuidem, cum ad eam propugnandam ſaluberrimam ſententiam, quam ſeu ratio, ſeu ſors mihi obtulit, ſeu erga Principes debita perſuaſit pietas, animum acerrimus propugnator appuli; nihil aſſentatorie me pro Summa aſſerturum Poteſtate, profeſſus antea fui: indignum namque mihi viſum ſemper eſt, præſtanti viro, vel qui ad præſtantiam cuncta ſtudet componere, veritatis in primis ſtudioſo, cujuſvis hominis, vel ipſorum Principum, blanditiis & aſſentatiunculis gratiam aucupari. Quamobrem, licet mordicus fluctuantem confirmaverim hactenus ſententiam de Summa Regum Poteſtate

a Deo *primario* derivanda, qua nulla potior est, nullaque Civitati salubrior; imperare tamen mihi numquam potui, ut quæ de Summæ Potestatis cumulatione cum Potestate Divina, temere nimium Hornius (1) asseruit, ad assentationem ipsa temporum calamitate eruditus (2), animo imbiberem. Profecto nonne, qui per summam impudentiam illud asseret, omnia semet assentari jubens, ut Hornius olim, ipsis quidem stomachum Principibus movebit? Principes namque, ut qui divinæ magis participes mentis, non eô usque Summæ eorum Potestatis fastigium extolli sentiunt, ut ex Potestate Summa, qua pollent, unicus cum infinita Dei potestate cumulus statuatur. Bene scilicet conscii sunt, quid Deus homini quid præstet. Hanc modo Hornii sententiam, quam impudentissimam puto, jam pensare, pensatamque deinde frangere, pro virili aggrediar.

§. II. I. itaque F. Hornius, uti superius indicabam, inter eos, qui Summam Potestatem a Deo αμεσως repetunt, princeps

(1) J. F. Horn. De Civ. Lib. II. Cap. I.
(2) Hertius ad Puffend. Lib. VIII. Cap. III. §. III.

ceps profecto est accensendus. Is igitur maximo cum errore posuit, *Civitatis caussam* non item esse *caussam Reipublicæ & Imperii summi: Civitatis vero caussam proximam & immediatam*, hominum pacta in Civitatem coëuntium esse putavit; *Summi autem Imperii caussam immediatam esse Deum*, qui ἀμέσως Principibus illud conferat. In qua hypothesi illud sine dubio peccat, quod Civitatem, hominum ex pactis consilioque derivat. Quod si enim ex singulorum pactis civium inter se se Civitas coalescit, quæ sane singulis ipsis majus quiddam est: falsum erit, quod inferius eodem capite asserit, *non posse singulos homines neque multitudinem dissolutam, Majestatem, quam non habent, eamdem in Regem conferre*. Est namque *Majestas*, *sive Potestas summa Civilis*, *morale* quidpiam, non *Ens Physicum* (1), sicut est ipsa etiam Civitas, quæ corpus quoddam *morale est*, sive cœtus perfectus liberorum hominum, Ari-

(1) Vid. Puff. Lib. VII. Cap. III. §. IV. Quare Grotio Lib. I. De J. B. & P. Cap. III. §. VI. n. 1. *Potestas Civilis* definitur *facultas moralis Civitatem gubernandi*.

Aristoteli αὐταρκὴς (1), communis Juris fruendi, communisque utilitatis caussa sociatus. Utcumque autem sese res habeat, quam Hornius ponit; atqui etiamsi ponatur parumper, quod falsum esse ex superioribus clare patet, Summam Potestatem ἀμέσως esse a Deo; illud ferendum tamen haud est, Deum videlicet *transcribere in Principem jus regendi hominem, quod ipse vi creationis solus tenet*, ita nihilominus, ut Deus pristinum quoque suum Jus adhuc retineat, ac propterea id *per cumulationem*, *haud per omnimodam abdicationem*, Potestatem Regibus concedat.

§. III. Ea vero primum Hornio mecum conveniunt, quod Summam a Deo Potestatem, equidem non minus, quam ille, arcessam; licet valde discrepet arcessendi modus. Ego namque *primario*, ut ordo naturæ servetur; ipse autem cum cæteris, omni sublato Naturæ ordine, ἀμέσως repetit. Mihimet porro Hornii deinde sententia, quæ de *cumulatione* exposita modo est, stomachum movet, sicut & ipsis Principibus recta ratione utentibus, qui bene

(1) Arist. Lib. III. Polit. Cap.VI.

bene norunt, aera lupinis quid distent? Quibus autem rationibus adducor, ut Hornium projectæ nimis criminer impudentiæ, jam nunc paucis exponam. Nullas primum equidem eo inficias, Deum ipsum, cum Principem aliquem, cujus vicaria regendis Populis utatur opera, administrum sibi in Terris constituit, transcribere in ipsum Principem Jus hominem regendi, quod solus ipse ex vi creationis tenet: at rotunde nego, Deum, Potestatem suam, quæ simul cum ejus Natura, quam pervadit, infinita est, quæque toti Naturæ factæ dominatur, cum Potestate, quam Principibus elargitur, *cumulare*. Quod *cumulationis* commentum si ponatur, illud quoque poni oportebit, Summam Regum Potestatem a Deo per *essentialem emanationem* prodire, ita ut una sit ac indivisa Potestas. Quod procul dubio est *pantheisticum*. Neque enim si fieri posset, ut Deus ejusque Potestas alicui totius Mundi particulæ impertita per *cumulationem* intelligatur; pugnabit amplius, *Deum divinamque ejus rationem toti Mundo & partibus ejus insertam* concipere: quod Seneca ex Stoicorum sen-

ten-

tentia reputavit (1). Posito item, quod sit una eademque Potestas, sequetur inde, quod nemo præter Spinozam concesserit, Potestatem Principum nihil esse præterea, quam substantiæ æternæ *modificationem*.

§. IV. Tum nemo dubitat, quicquid creatum est, nempe *Essentias* omnes, quas Metaphysici appellant *factas*, earumque *proprietates*, in quarum complexu a recentioribus Philosophis *essentiæ* ipsæ rerum ponuntur, a Deo, tamquam ab aliquo *Principio activo & extrinseco*, sive a Deo, tamquam a *caussa*, quæ semper quid extrinsecum est, (in quo a *principio* distat), pendere. Nullum itaque dubium est, quin tum rerum *essentiæ*, cum earum *proprietates viresque* ab eadem *caussa*, tamquam *prima* pendeant, atque ad agendum determinentur, per *creationem* primum, deinde per *conservationem*, quæ perpetua etiam ipsa creatio est (2). Quamobrem Summa Potestas, qua de agimus, etiam ipsa creata erit; adeoque cum æterna non sit, nec ipsa se moveat, alterius vi

(1) Sen. Lib. IV. De Benef. Cap. VII.
(2) D. Thom. P. I. q. 104. artic. I. ad 4.

vi indiget, ut ſit, ut conſervetur, ut agat. Quæ quidem fruſtra affirmabuntur, ſi forte ponatur, quod Hornius cenſet, Poteſtatem Divinam Summæ Poteſtati Principum cumulari. Quæ ut clarius intelligantur, eodem tantiſper utar exemplo, quo utitur D. Thomas loco ſuperius adducto. Ita enim cenſeo, exemplum illud & libentius ad confirmationem noſtræ ſententiæ nos perducturum, & cum ibi venerimus, evidentiorem præſtiturum intellectum. *Sic ſe habet*, (inquit acutiſſimus omnium Philoſophus, qui ſæculi rubiginem, ingenii ſaltem acumine decoravit), *omnis creatura ad Deum, ſicut aer ad Solem illuminantem. Sicuti ſi Sol eſt lucens per ſuam Naturam, aer autem ſit luminoſus participando lumen a Sole, non tamen participando naturam Solis: ita ſolus Deus eſt per eſſentiam ſuam, quia ejus eſſe eſt ſuum eſſe; omnis autem creatura eſt Ens participative, non quod ſua Eſſentia ſit ſuum eſſe.* Quare Summa Poteſtas, quam ipſo fatente Hornio, Deus Principibus impertitur, cum & ipſa quid creatum ſit, ita ſe ad Deum habebit Divinamque Poteſtatem, ut aër ad Solem: Nulla itaque *eſſentialis* communio duas ha-

hasce inter Potestates intercedit, nulla *cumulatio*, at potius integra priori manente, posterior de integro a Deo creatur, Principibusque jam electis infunditur; omnibus illis admixta *imperfectionibus*, quas subjectum creatum secum necessario fert, ex malo, quod clarissimus Leibnitius recte appellat *Metaphysicum*. Si excipias igitur, quod Summa Potestas a Deo, tamquam ab unico proprioque omnis ordinis principio pendeat, eamque ipse moderetur; tum si excipias, quod sit una ac per se indivisa, præditaque sit *summitate*, idest τῷ ανυπευθυνῳ, ut Aristoteles ait (1), cætera vero & ipsa nonnihil creatum est, ut singulæ hujusce Mundi res, quibus undique circumvallamur. Nulla propterea est hujusmodi, quam somniat *Hornius*, Summæ Potestatis Divinæ *cumulatio* cum Summa Potestate Principum sive Civili: at præstantiorem quamdam sibi Deus potestatem regendi perpetuo Populos Regnaque moderandi retinuit, quæ reipsa, atque κατα *esse eminentiale*, quod Scholastici appellant, a Sum-

(1) Aristot. IV. Politic. C. X. & Grot. Lib. I. de J. B. & P. Cap. III. §. XVII. n. 1.

Summa Principum Poteſtate procul dubio ſecernitur. Appoſite Tullius: *Itaque neceſſe eſt illud etiam, in quo ſit totius Naturæ Principatus, eſſe omnium optimum, omniumque rerum poteſtate dominatuque digniſſimum* (1). Æquo mihi animo Principes ignoſcite, ſi cauſſam Dei, vobis profecto non repugnantibus, adverſus impudentiam perorare, egomet mihi modo imperavi.

§. V. Ponamus autem tantiſper, *cumulationem* hanc eſſe veram. Sequetur inde, Principes, tamquam minores aliquos Deos, pro lubidine rem communem propriamque poſſe moderari, neque debere aliquando, vel ipſi D. O. M. gubernationis ſuæ omnino reddere rationes. Quo poſito, hujuſmodi rerum ſtatus inducetur, quem veteres fabulati olim ſunt, in Cœlo quondam obtinuiſſe, quo tempore ferunt, minores Deos Jovi non conceſſiſſe. Ajo itaque Summam Poteſtatem Civilem Poteſtati divinæ ſervire, non ſecus ac Magiſtratuum Poteſtas Summis Principibus ſervit, cæterique omnes e Civitate lubenter ſerviunt Magiſtratibus.

(1) Lib. II. De Nat. Deor. Cap. XXIX.

Faciunt ad rem Tullii illa : *Noster vero Plato Titanum e genere statuit eos , qui ut illi cœlestibus , sic hi adversentur Magistratibus* (1) . Et illud etiam Euripidis (2).

„ Νομαδες, ακυει δ' ουδεν ουδεις ουδενος.

„ Confusa turba, nemo ubi audit neminem .

Idemque Tullius (3):*Gigantum more bellare cum Diis, est Naturæ repugnare.* In verbis autem Tullii priori loco adductis, clare ordinis ratio illa perspicitur, qua factum est, ut Summam ego Principum Potestatem a Deo tamquam omnis ordinis Principio repeterem , nec eam eminentiori Potestati Divinæ cumularem . Quæ ne temere aliquis putet , veluti ægri species, me somniare ; multis nunc veterum etiam scriptorum testimoniis, eum, quem dixi, ordinem & υπαλληλισμον confirmabo. Ita cuique exploratum fiet, sensum quemdam communem sententiam meam

(1) Cic. de Leg. Lib. III. §. II. ex edit. Ernesti.
(2) Eurip. Cyclop. v. 120.
(3) Cic. de Sen. cap. V.

meam farctam tectam tueri. Ad rem, puto, magis facit, quod Horatius hisce verbis (1):

„ Regum timendorum in proprios greges
„ Reges in ipsos imperium est Jovis „.

Congrui quoque Senecæ illud (2):

„ Omne sub Regno graviore, Regnum
„ est;

& illud etiam Papinii (3):

„ . . . . Vice cuncta reguntur
„ Alternisque regunt . . . .

Augustini dictum illud celebre est apud Gratianum (4). *Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major Potestas minori ad obediendum proponitur, ita Deus omnibus.* Ejusdem vero Augustini celebrius illud est, (ex quo clarius ὑπαλληλισμῶς, quem

 dixi,

(1) Hor. Lib. III. Od. I.
(2) Sen in Thyeste v. 612.
(3) Papin. III. Sylv. 3. v. 49. & 50.
(4) Grat. Dist. VIII. can. 2.

dixi, patet) quod alibi extat apud eumdem (1). *Ipsos humanarum rerum gradus advertite: si aliquid jusserit curator, nonne faciendum est? Tamen, si contra Proconsul jubeat. Non utique contemnis Potestatem, sed eligis majori servire: nec hinc debet minor irasci, si major prælata est. Rursus si aliquid ipse Proconsul jubeat, & aliud jubeat Imperator; numquid dubitatur, illo contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum: esto mihi in obsequium: recte, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major Potestas.* Quis non videt hic, Potestates ab Augustino non cumulari mutuo, at per quosdam veluti gradus attolli, aliamque alia censeri sublimiorem; multoque minus Potestatem quamcumque ad Divinæ Potestatis gradum ex Aug. sententia evehi posse, quæ est omnium præstan-

(1) Idem Can. *Qui resistit* 97. Cauf. XI. q. 3. Ita hunc Canonem sistunt Corr. Rom. apud Pithœum; aliter vero eum exhibet Grot. Lib. I. De J. B. & P. Cap. IV. §. VI. n. 2. paucis nempe quibusdam mutatis. Eadem fere Aug. habet Serm. VI. in verba Dom. & Serm. LXII. c. 8. n. 13. col. 253. Tom. V. edit. Bened. Antuerp.

ſtantiſſima? Alioquin in *colliſione Legum Civilium*, quas Principes ferunt, & *Naturalium*, ſive etiam *Poſitivarum divinarum*, cur hæ, quæ Deum auctorem habent, illis præferrentur? Bene itaque Auguſtinus idem apud Gratianum (1) alibi: *Quicunque vero legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium*. Hinc etiam Apoſtoli (2) dixere, Deo magis, quam hominibus obediendum. Quæ ſane regula omnium certiſſima, univerſorum hominum mentibus inſcripta, totidem ferme verbis apud Platonem reperias (3). Repetenda hic omnino ſunt, quæ cum Tullio ſuperius: *Itaque neceſſe eſt, illud etiam, in quo ſit totius Naturæ Principatus, eſſe omnium optimum, omniumque rerum poteſtate, dominatuque digniſſimum*.

§. VI. Operæ nunc pretium omnium maximum facturum arbitror, ſi ab ipſis ſacris litteris exempla petens, Hornii ſen-

(1) Grat. Diſt. IX. Can. Imperatores I.
(2) Act. Ap. IV. 19. v. 29.
(3) Plat. Apolog. Socrat. Pag. 29. D. Tom. I. Edit. Steph.

tentiam magnopere labefaciam. Quibus testimoniis hæc liceat præfari. Si Regum Imperium Imperio divino cumularetur umquam, non liceret fortasse Deo, pro suæ eminentioris potestatis ratione, Principibus Regnum eripere, eosque pro lubitu de solio dejicere. Nemo enim sibimet, nisi natura invidus sit, malevult. Oculis autem quisque suis, Summæ Potestatis Divinæ præstantiam videat præ Summa Principum Potestate apud Isaiam, Jeremiam, Danielem, dummodo tantisper legat, quæ ab hisce sacris vatibus ore prædicuntur fatidico de nominatissimæ Urbis Babylonis eversione, ac de *delatione* Summi Imperii in Persas ac Medos, Cyro duce ipsorum celeberrimo: quem Deus ipse fatetur, adversus Balthassarem concitare; signaque Cyri copiis efferre, ipsumque ad pugnam attollere (1). Luce clarius apud eloquentissimos hosce sacros vates visitur Dei, si loqui ita fas est, invidia, ex eo utique concitata; quod Urbs ista florentissima Dei Summæque Divinæ Potestatis oblita, Reginam sese

(1) Is. c. 13. v. 1. 3. 4.

fese in animo nuncuparat (1) : *Dixisti : in sempiternum ero domina : . . . . dicis in corde tuo : Ego sum , & non est præter me amplius : non sedebo vidua , & ignorabo sterilitatem*. Constat præterea ex Daniele, Deum Babylonis Regem e Regno expulisse propter ipsius superbiam, & ut sciret, quod *dominetur excelsus super Regnum hominum & cuicumque voluerit, det illud* (2). Ipsemet porro Daniel, Deum, ait, Regnum Regi restituturum, postquam cognovisset, *Potestatem esse cœlestem* (3). Demum ex eodem patet, reipsa Deum ipsi Regnum restituisse, cum Rex in bonam jam rediisset frugem, sanamque induisset mentem, Deoque bene *Altissimo* dixisset hisce verbis (4) : *quia Potestas ejus Potestas sempiterna & Regnum ejus in generationem & generationem*. Quæ sacrarum litterarum testimonia falli nescia, maxime Herodoti auctoritas exornabit: apud quem perlego, Regem Aprietem (5) ea fuisse persuasione,

(1) If. c. 47. v. 7. 8.
(2) Dan. cap. 4. v. 22. & 29.
(3) Dan. c. 4. v. 23.
(4) Dan. c. 4. v. 31.
(5) Herod. Lib. II. c. 169.

μηδ' αν Θεον μιν μηδενα δυναθαι παυσαι τ Βασιλῃιης, *ne Deum quidem quemquam posse sibi adimere Regnum*. Adeo sibi videbatur, addit Herodotus ibidem, sibi illud in stabili positum esse: & tamen *tunc congressus*, *prælio victus est*. Nolo autem pluribus, rem notissimam impeditiorem reddere.

§. VII. Verum ne a proposito umquam divager, ex hisce, quæ hactenus contra Hornium disputavi, prono alveo fluit, quod ab initio probandum mihi proposui hocce libello; Summam Potestatem *primario* esse a Deo, a quo præcipue sine ulla *cumulatione* aut *confusione* in Principes derivatur. Exinde namque potissimum eruitur, quod huic rei confirmandæ apprime factum puto, Deum omnis ordinis esse Principium quam eminentissimum. Non piget, Justiniani Imperatoris adnectere hic quoque verba celebrari meritissima (1): *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia; Sacerdotium & Imperium; & illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens: ex uno* (om-

(1) Nov. VI. ad Epiphan. Archiepisc. & Patriarch. Constantinopol.

(omnium autem maxime nòtatu digna sunt verba quæ sequuntur) *eodemque principio utraque procedentia*, *humanam exornant vitam*. Quare alibi idem professus est Imperator, Summam Potestatem Civilem & Ecclesiasticam amice conspirare, *unamque* debere *pariter concurrentia consonantiam rectis sententiis facere*. Quæ verissima Justiniani verba, quam vellem hodie summa cum Religione custodiri!

CAP. VIII.

De Summæ Poteſtatis Cumulatione circa Sacra cum Summa Poteſtate Civili apud veteres. Hujuſce cumulationis ratio redditur potiſſima, quæ Auctoris congruat ſententiæ, quam propugnat. Petri Jannonii ſententia elevatur.

§. I. FUit hoc in more poſitum, inſtitutoque majorum, ut qui publicæ præeſſent rei, iidem illi Sacra curarent. Quamobrem dubium haud eſt, veteres Summæ Poteſtati Civili Poteſtatem quoque circa Sacra cumulaſſe. *Qui rerum potiebantur*, Tullius (1) inquit, *iidem auguria tenebant*, *ut enim ſapere*, *ſic divinare*, *regale ducebatur*. Quare Virgilius (2):

„ Rex Anius, Rex idem hominum,
„ Phœbique Sacerdos.

Homerus autem ſuos Heroas viroſque Principes exhibet perſæpe ſacra Diis facientes. Herodotus quoque (3) inter reliqua decora, Regibus Spartiatas tri-

(1) Cic. De Divinat. Lib. I.
(2) Virg. Lib III. Æn. v. 80.
(3) Herod. Hiſt. Lib. VI. cap. 56.

tribuisse etiam tradit, *duo Sacerdotia Jovis Lacedæmonis & Jovis Cœlestis*. Illud etiam moris, Athenienses quamplu- resque Græciæ Civitates Plato (1) & Thucidides; Ægyptios Plutarchus (2); Æthiopes Diodorus (3) habuisse testantur: & Dyonisius inter Regum munia, præcipue sacrorum curam recenset atque Sacrificiorum. Ita in Ægypto Mercurius Trismegistus; in Judæa Hasomonœi ex Macchabeis oriundi sacra curarunt. Imperatores tandem Romani, ab Augusti ætate (quod inter Imperii arcana diutius habuere) Majestatem Principis Pontificia auctoritate ac Religionis cura muniverunt (4). Itaque Imperator Julianus (5) ajebat: *Qui, quod ad Deos spectat, Pontifex videor esse maximus; & quamquam bonore isto sum indignus, esse tamen dignus studeo, idque quotidianis a Diis precibus impetrare contendo*. Antiquissima vero

(1) Plat. in Dial. Reg., & Thucid. Hist.
(2) Vid. Grot. De Imp. Sum. Potest. Cap. II. n. 4.
(3) Diod. Sic. Bibl. Hist. Lib. IV.
(4) Dio Lib. LIII. & Serv. ad Lib. III. Æn. v. 80. Vid. Pagi Critic. ad Baron. an. 312. a n. 17. usque ad 23.
(5) Ex Jul. Imp. Fragm. Pag. 298. edit. Ezech. Spanhem.

ro Sabinorum Gens, per Numam Pompilium, alterum Romanorum Regem post Romulum, illud moris Romanis tradidit, quem facile a Romanis acceptum, ad Imperii eversionem usque, tenaciores retinuere.

§. II. Minime injucundum fore censeo lectoribus meis, quoniam de Numa præter opinionem sermo incidit, rem, qua de agimus, ipsius Numæ institutis confirmare. Ad Regni fastigium Pompilius inclyta ejus justitia religioneque evectus, omnium primum rem, multitudini imperitæ in officio continendæ, efficacissimam, Deorum metum, injiciendum ratus. Quamobrem simulatis cum Dea Ægeria. nocturnis congressibus, ut aliquo miraculi commento ad imperitos animos rudesque facilius Religio descenderet, sacra, cujus plurima ipse obibat (1), cœpit, quæ Diis essent, acceptissima, instituere, ac Sacerdotes cuique Deorum præficere. Maxime vero, ne in bellicosa Civitate, ubi plures Romuli, quam Numæ similes Reges futuros præsentiebat, Sacra *Regiæ vicis* desererentur; Flaminem, Jovi assiduum Sacerdotem, creavit, cui Sacro-

(1) Liv. Lib. I. Cap. XIX. & XX.

crorum cura, Regibus ad bellum euntibus, demandaretur (2). Quod Numæ institutum, diutius, donec Resp. stetit, ipsaque funditus eversa, donec discussa omni erroris caligine, de tenebrarum profundo, Romanorum superstitio in sapientiæ lucem ac veritatis emersit; Christiana, inquam, Religio donec excepta palam fuit ab Imperatoribus, perennavit.

§. III. Antiquissimi hujusce instituti tot rationes redduntur, quot sunt eruditorum una ac politicorum capita. Minime autem omnium spernenda illa est, quam Petrus (1) nobis exposuit Jannonius, in Historiæ nostratis opere suo elaboratissimo. Quam nimirum Jannonius reddidit rationem, ex fine petita est, quem veteres Gentes Religioni Sacrisque præstituere. Religionis nempe instituto utebantur Gentes vetustissimæ pro Reip. salute atque incolumitate, neque, uti apud nos, alium Religio apud illos spectabat nobiliorem finem, animarum scilicet salutem, æternæque beatitudinis possessionem. Itaque apud Romanos aliasque

(1) Liv. Lib. I. Cap. XXX.
(2) Hist. Civil. Lib. I. Cap. XI.

que Gentes Romanis vetustiores, res etiam divinæ atque ipsa Religio Juris Publici speciem constituebant, quod *Sacrum* Quintiliano (1) audit atque Justiniano (2), quodque civilis omnino moderabatur Potestas. Quare licet sub Imperatoribus plurima Sacerdotum eaque distincta exsisterent Collegia, quorum fidei Religionis cura committeretur; Pontificatu tamen Maximo, ipsi Imperatores aucti etiam censebantur, adeoque nihil a quoquam, iis inconsultis, sanciri de rebus divinis sacrisque poterat; omnia autem ab Imperatoribus, qui Reip. non minus quam Religioni præerant, constituebantur. Hinc Jurisprudentia Ulpiano (3) definitur, *divinarum atque humanarum rerum notitia*; ipsique Jurisconsulti de *Jure Sacro* plura scripserunt. Itaque Servius Sulpitius scripsit de *Sacris detestandis*; Trebatius de *Religionibus*; Capito *de jure Pontificio* ac de *Jure Sacrificiorum*. Cicero quoque tradit (4) illud moris olim apud Romanos obtinuisse, ut ad eximios Jurisconsultos P. Crassum, T. Coruncanium & Scipionem

(1) Quintil. Lib. IV. Cap. II.
(2) L. 24. pr. Cod. De SS. Eccles.
(3) L. 10. §. 2. D. De Just. & Jure.
(4) Cic. De Orat. Lib. III. C. XXXIII.

nem *de omnibus divinis atque humanis rebus referretur*. Tum in ipſum denique Pontificum collegium Juriſconſulti cooptabantur, eorumque erat *& Religionibus Deorum immortalium*, *& Summæ Reipublicæ præeſſe*: quod ex Cicerone etiam patet (1).

§. IV. Apud Chriſticolas vero, quibus Religio, non rei communis incolumitatem ſpectat præſentiſque tantum vitæ beatitudinem, at præſtantiorem quemdam reſpicit finem, vitam nempe æternum duraturam, ipſiuſque Dei tamquam proprii immutabiliſque boni fruitionem; *Sacerdotium* eô nobilius præſtantiuſque habetur *Imperio*, quô res divinæ humanis merito anteferuntur, & quô anima corpore, cui tam arcto alligata nodo eſt, fugacibuſque bonis, eſt præſtantior. Quamobrem ſacra apud Chriſtianos, ex ipſiuſmet Jannonii ſententia, non perinde ad Civilem Poteſtatem hodie pertinent, ut apud Romanos olim: ea vero ex ipſiuſmet Chriſti Servatoris noſtri inſtituto, juris ſunt Eccleſiaſtici, quod a civili nunc Poteſtate amplius *directe* non pendet. Civilis itaque Poteſtatis nunc tantum eſt, fidem

(1) Cic. pro Domo ſua Cap. I.

fidem, mores ac disciplinam, sive τὴν πολιτίαν, uti Chrysostomi utar propriori (1) vocabulo, tueri (2): nihil autem juris circa res divinas, eadem sancire nunc valet; quæ ex novæ cooptatæ Religionis instituto, ad *Cæsarem* omnino non pertinent. Contra autem hæc, cum Potestatis *Spiritualis* sit, res tantum curare divinas, nihil propterea circa res humanas, quæ ad Principes, Potestatum Summarum facta jam secretione, arctiori vinculo pertinent, moliri Sacerdotes debent. Facit ad rem (3) Horatii illud:

„ Sunt certi denique fines,
„ Quos ultra citroque nequit consistere rectum . . . .

§. V. Quamquam vero illa, quam de hujusmodi majorum Gentium consuetudine ac instituto Jannonius attulit rationem, videri queat verisimilior: est tamen quod huic opinioni maxime posse incommodare video. Veteres etenim, non rei tantum communis incolumitatem, religioni præstituisse censendum; verum etiam nonnullam instituta religione alterius quoque vitæ

(1) Lib. IV. De Sacerd. Cap. V.
(2) Petr. De Marca De Conc. Sac. & Imp. Lib. II.
(3) Satyr. I. v. 106.

vitæ mihi rationem videntur respexisse. Quod inde quidem infero, quod non minus ac nos, veteres etiam Gentes alterius vitæ feliciter vel misere transigendæ, vicissitudinem verebantur. Ex Senecà profecto (1) patet ac Tullio *consensus hominum aut timentium aut colentium inferos*. Hinc actiones suas ad Religionis præscriptum quisque veterum componebat, non tantum uti justus Sanctusque in Civitate ageret, pravæ cogitationis nullam veritus pœnam; verum etiam uti recte honesteque vivendo, aliquam sibi alterius vitæ spem bene feliciterque transigendæ compararet, tranquille interea ac pacate curtum hujusce vitæ ævum transigens ac brevissimum. Et quamvis veterum Religio multis involuta erroribus, nihil præseferret, quod omnino sanctum foret; ac pleraque superstitionem, virtutemque (2) fuco ac cerussa obductam, redolerent: facta tamen etiam erat moribus ad justitiam honestatemque componendis, non solum communis utilitatis caussa, verum ipsius quoque amo-

I re

(1) Senec. Epist. 117. & Tul. in prim. Thuscul.
(2) Jul. Firm. Mater. De Error. Profan. Relig.

re virtutis, quam in altera vita coronaturos procul dubio Deos ſperabant. Hinc etiam veteres in agnoſcendo unico rerum omnium moderatore, præſertim philoſophi, mire conſenſerunt, *ut quivis arbitretur*, appoſite inquit Minucius Felix (1), *aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut philoſophos fuiſſe jam tum Chriſtianos*. Quare de Animæ humanæ etiam immortalitate non minus, quam nobis (abſit verbo invidia) perſuaſum erat veteribus: unde Macrobius (2) vetuſtioris ſapientiæ diligentiſſimus certe inveſtigator, clare ſcribit, *obtinuiſſe jam non minus de incorporalitate Animæ, quam de ejus immortalitate ſententiam*. Hinc peccatorum facinorumque, honeſtatis juſtitiæque cæterarumque virtutum notio, ne ipſos quidem latebat. Quamobrem veteribus ſaltem ſapientioribus pura putaque Religio (quatenus rationi naturæque lumini conceſſum) ſummæ venerationi fuit: pura nempe Dei cognitio, ejuſque *relationis*, quæ homini cum Deo eſt;

(1) Min. Felix in *Octavio* Pag. 155. edit. in 8. Lugd. Batav.

(2) Macrob. in Somn. Scipion. Lib. I. Cap. XIV.

est; & proprius sincerusque Dei cultus, in quo *pietatem* poni, verissime affirmarunt (1). Præclarum est Simplicii illud in Epictet. *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud scito esse, rectas de iis habere opiniones, ut sentias & esse eos & bene justeque administrare universa.* Egregie etiam Cicero (2): *Nisi constet Deum esse ejusque vi atque numine omnia facta esse & servari, quæ potest esse Pietas, quæ Sanctitas, quæ Religio? Hæc enim omnia pure & caste tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertatur ab iis, & si est aliquid a Diis immortalibus humano generi tributum.* Hinc divina illa Pauli sententia; *accedentem ad Deum, oportet credere, & quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit* (3).

§. VI. Jam vero non aliunde, quam ex præconcepta, Religionis ope, alterius vitæ beatitudine seu miseria, repetenda sunt, quæ de pœnis malorum, bonorumque præmiis, veteres animo secum reputarunt. Hinc Virgilius, cujus in Poëma-

(1) Conf. Euseb Lib.I. Præpar. Evang. Cap.I.
(2) Cic. Lib.I. De Nat. Deor. Cap. I.
(3) Ad Hæbr. Cap. 11. v. 6.

tibus historia quædam veterum Romanorum religionis elucet, nominatim Æneid. VI. *malorum pœnas*, *amplumque Elysium* enarrat. Quamobrem sic infit (1).

„ Hic locus est, partes ubi se via
„ findit in ambas:
„ Dextera, quæ Ditis magni sub
„ mœnia tendit;
„ Hac iter Elysium nobis ; at
„ læva malorum
„ Exercet pœnas, & ad impia
„ Tartara mittit.

Qui divinus Poëta, postquam longo recensuit ordine, & qui auro patriam vendidit; legesque qui pretio fixit atque refixit; qui natæ thalamum invasit, ac vetitos hymeneos; eosque tandem omnes, qui immane ausi fuere nefas, ausoque potitos: jam tandem ad læta loca Æneam deducit (2),

„ . . . . Et amena vireta
„ Fortunatorum nemorum, se-
„ desque beatas.

Age autem, audiamus tantisper, quinam fortunatis sedibus degant (3).

„ Hic

(1) Lib. VI. v. 540. & seq.
(2) Lib. VI. v. 638. & seq.
(3) Lib. VI. v. 660. & seq.

„ Hic manus, ob Patriam pu-
„ gnando vulnera passi;
„ Quique Sacerdotes casti, dum
„ vita manebat:
„ Quique pii vates & Phœbo di-
„ gna locuti:
„ Inventas aut qui vitam exco-
„ luere per artes:
„ Quique sui memores alios fece-
„ re merendo &c.

Cætera prætereo consulto, ne, dum eam per singula, sim fortasse longior, in re alioquin lippis ac tonsoribus notissima. Neque regerat aliquis, quod tota illa inferorum doctrina, quam veteres animo ab unguiculis imbibebant, sit Poëtarum commentum imperitæ multitudini factum terriculamento, uti opinatur Strabo Geographus (1) & Diodorus Siculus (2); quorum verba lubens etiam prætereo. Fieri enim non potest, ut, sicuti in cæteris, eadem quoque Poëtis audendi facultas, in Religionis rebus concessa olim fuerit. Fateor autem & in hisce etiam rebus, quam-

 plu-

(1) Strab. Lib. I. Geogr. pag 35.
(2) Diod. Sicul. Lib. II. Biblioth. prop. finem.

plurima per *αυκεσιν* fuisse Poëtas prolocutos.

§. VII. Ex quibus infertur, non omnino verum esse, quod Jannonius veluti ex tripode asseruit, veterum Religionis finem ultimum fuisse Reip. tantum salutem atque incolumitatem: veteres namque aliquo etiam pacto, alterius securitatem vitæ, Religionis instituto spectarunt. Alioquin & Christiana, quam profitemur, Religio, rei communis salutem incolumitatemque spectat. Quod ex Just. Martyre apparet (1), qui hisce verbis Antoninum alloquitur: ἀρωγοι δ᾽ υμιν και συμμαχοι προς ειρηνην εσμεν παντων μαλλον ανθρωπων &c. *ad Pacem vero (publicam) conservandam, vobis plus quam homines cuncti adjutores sumus & opitulatores; qui videlicet docemus, nullum apud Deum tectum esse posse, aut maleficum & avarum & insidiatorem, aut etiam virtutis studiosum virum; atque unumquemque ad sempiternam vel pœnam, vel salutem pro factorum suorum meritis contendere*. Quapropter

(1) Apolog. II. Pro Christ. ad Anton. Imp. Pag. 59. ex interpr. Joan. Langi edit. Colon. an. 1686. in fol.

pter ea nunc in animo mihi surgit sententia, quô magis mihimet constem, ut affirmem, veteres Gentes id propterea Summos Imperantes Pontificatu Maximo auctos censuisse, quod in animum, ipsa suadente natura, induxissent, Potestatem Summam Civilem a Deo manare, adeoque potiori jure eamdem Divina curare debere, quam Humana. Ecquis enim præterea, antequam Christiana a Gentibus adscisceretur Religio, Divina se curandi facultatem a Deo accepisse jactare verius poterat, quam Principem? Simulati hinc illi cum Diis Deabusque congressus (veluti Numæ cum Ægeria), quarum monitu Sacerdotes Sacraque sese instituere, multitudini persuadere conati sunt, profanarum Religionum Institutores. Pernotum etiam est, cum nescio quo Angelo, Muhammedis, qui Turcharum Religionem primus instituit, colloquium. Cujus divini congressus colloquiique cum Diis simulati commentum, non aliundé repetam, quam ex insita Populorum persuasione, quod Summa Principum Potestas a Deo potissimum derivetur. Quæ quidem persuasio, maximam Regum institutis conciliavit semper auctoritatem.

Quod exemplo Minois & Lycurgi Eaci ac Radamanthi magis confirmatur.

C A P. IX.

De populi declaratione pluribus differitur. Eam haud ipsam Summam Potestatem efficere, verum Summæ Potestatis habendæ modum, demonstratur. Plures hujusmodi exponuntur modi. Bodinus, Hotomannus, ac Puffendorfius refelluntur. Sexti Empirici caussarum efficientium partitio proponitur, eaque confirmandæ Auctoris sententiæ accommodatur.

§. I. EX antea dictis satis, arbitror, apparet, Deum Regibus summam conferre *primario* Potestatem; Populum vero *secundario*, per *declarationem* nempe ac *consalutationem*, quæ *ratihabitionis* species quædam est. Quæ quidem *declaratio* ubinam ponatur, rei modo, quam tracto, ordo postulat, ut disquiram.

§. II. Cum persuasum Populo sit, Summam Potestatem a Domino omnium Principibus conferri, fortesque in subjectum proprium Summæ Potestatis eligendum,

dum, a Deo præcipue temperari, ut ille, quem Deus jubet, Imperium sortiatur: Comitiis habitis de eligendo Rege, duo quisque Populus electo jam Regi pollicetur, *honorem* videlicet ac *reverentiam*, ex quorum conjugio satam olim Majestatem, philosopha potius, quam poëtica sententia, Ovidius (1) affirmavit. Quæ quidem hoc vel alio præstanda modo, unusquisque porro Populus, Principe jam constituto, *expresso*, vel *tacito* saltem consensu declarat; cum Princeps nempe antea ostenderit, quibus ejus *Majestas* obsequentissimis signis factisque colatur. Ad hujusmodi *declarationem* primum deduxerim, quæcunque Princeps simul cum ipso Populo sanxerit de Imperii (2) *insignibus*, aut de ejusdem *delatione* vel per *novam electionem*, vel per *successionem*, & hujusmodi similibus; quæ non ad ipsam Summam Potestatem, at *ad habendi modum* pertinent, quæque propterea pro studiorum diversitate, diversissima apud Gentes obtinuisse inveniuntur. Ita ex

(1) Fastor. Lib. V. v. 25.

(2) Sistam vero hic elegantissimum Alexandri ab Alexandro de vetustiorum Regum insignibus fragmentum. *Quod quidem Diadema, Armeniorum Reges*,

ex Dione (1) patet, *sceptrum aureum*, co-

ges, nisi a Romanis Regibus assumere non poterant. . . . . . Persici Reges observarunt ex Myrrha & labizo odorata, capiti insigne Regium ferre, palamque picturatam & auro distinctam induere. Numidis Regibus Sceptrum in sinistra, & candida in fronte victa, insigne est Regale habitum. Macedonum Regum chlamys causia & crepida ac diadema: Assyriorum vero tiara diademate obvoluta & tunica purpurea, & partim alba, quam nisi Rex induere nemo poterat. Sardis quoque curru vehi, & rectam ferre tiaram solis Regibus dabatur. Apud Siculos purpurea vestis, argenteus baculus, & purpura gemmis extructa cum diademate. Phœnicibus, Syris, & Cilicibus, chlamys cum crepidis, & candicans diadema. Ægyptiis autem Regibus, nunc leonis, nunc tauri, aut draconis effecti imaginem, aut ignem, arboremve effictam supra caput efferre, principatus & Regii dominatus insignia fuere. Nonnumquam Diadema aspidis imagine distinctum, Ægyptiorum Regum spectatissimum insigne fuit. Sarthis duplex Diadema amplissimum decus Regium dicunt esse, quippe quorum Reges Magni, & Regum Reges habebantur . . . . Darii Diadema fuit purpureum albo distinctum, quod mox Alexander usurpavit ferre. Syrii quoque stolam & Sceptrum pro Regio Diademate habuerunt . . . . Batavi & Germani Regem, quem delegere, attollere humeris, & scuto exceptum subcollare per vices pro Regio fastigio observarunt. Romanis autem Regibus diadema, trabea, & purpureus amictus, non quadrangulare, sed semicirculare, insignia Regii dominatus fuere. Alexand. ab Alex. Lib. I. Genial. Dier. Cap. XXVIII. Pag. 220. Tom. I. edit. in 8. Lugd. Batav. 1683.

(1) Dion. Lib. II. Histor.

coronam auream , *ſellamque Regiam* , σκηπτρον τετι χρυσουν και στεφανον τον τε διφρον τον βασιλικον, Cleopatræ Reginæ nominatiſſimæ inſignia fuiſſe : quare idem ait Dion, ea Cæſari miſiſſe, quaſi Regnum cum iis tradentem ; quæ traditionis ſpecies *Symbolica* a Juriſconſultis nuncupatur . Ex Dionys. autem Halicarnaſ. (1) conſtat, quod Romani ſceptra & Diademata dono ſociis Regibus mittebant , quando eis Regiam confirmabant Poteſtatem , βεβαιουντες αυτοις τας εξουσιας. Ita quoque apud Langobardos *Haſta* olim Regium fuit inſigne , quod expreſſo ipſius Populi conſenſu Regibus deferebatur . *Langobardi* , inquit Sigonius (2) *continuo Alboinum ipſum* , *Regem Italiæ lætis acclamationibus ſalutarunt*, *eique haſtam* , *inſigne Regium* , *porrexerunt* . Ex eodem vero Sigonio patet (3), Agilulfo, IV. Langobardorum Regi , *coronam ferream* impoſitam fuiſſe , a *Theodelinda* Regina inſtitutam, auream illam quidem, verum interiore circulo ferreo intextam; un-

(1) Lib. III. Antiq. Rom. p. 196.

(2) Sig. Lib. I. de Reg. Ital. Pag. 16. Tom. II. ejuſd. edit.

(3) Idem Lib. I. De Reg. Ital. Pag. 52. Tom. II.

unde postea *ferreæ coronæ* nomen, Italico Langobardorum in Regno enituit (1). Hac corona, veluti proprio Regum insigni, omnes Italiæ Reges ad Fridericum usque II. inaugurari solitos fuisse, idem abunde Sigonius testatur. Hac sine dubio corona, devicto captoque *Desiderio* postremo Langobardorum Rege, redimitus Carolus Magnus & Lotharius (2) postea, cæterique deinceps Imperatores. Qui vero Princeps obnoxius non fiat Populo per hujusmodi *expressam declarationem*, infra exemplis quamplurimis ostendetur. Nunc vero ea, ad quæ sum aggressus, pergam.

§. III. Persæpe Populus haud *expresse* declarat, quo nomine Summa Potestas in Civitate prodeat insignita, quibusque decentibus Insignibus fastigium suum exprimat: tacito nihilominus probat consensu, rataque habet, quæ constitutus jam Princeps

(1) Non prætereo hic, quod de Elephantibus, animalibus homini proximis, scribit Plinius Lib. VIII. Hist. Nat. §. I. pag. 435. *Nam quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt*. Idemque Plinius scribit, Apes Regibus domos in sui venerationem compositas, exædificare Plin. 1. p. 595. v. 35.

(2) Sigon. Lib. IV. de Reg. Ital. Pag. 229. & idem Pag. 277. ibidem.

ceps assumpsit insignia. Ex veteri Historia exempla facile eruuntur, quibus evincitur, Reges sæpe per se titulos ac Imperii insignia, Populis probantibus sive non repugnantibus, sibi adrogasse. Ita ex Josepho (1) constat, quod Aristobulus Hyrcani filius, διαδεμα πρωτος επιτιθεται, *primus diadema sibi imposuit*. Agathocles autem Siciliæ Tyrannus ultro se *Regem* nominavit, quod potentiæ suæ præter eum titulum, nihil deesse videret (2). Quare, ut obiter hæc dicam, falsus animi est Samuel Puffendorfius (3), qui ait, Populum eumdem, qui in unum, Imperium in se confert, eo ipso tribuere ipsi Jus, nomen & Regis titulum gerendi exprimendique Regiam celsitudinem insignibus decentibus. Populus namque Imperium, quod non habet, conferre numquam in aliquem potest; & Jus Regis titulum gerendi, ferendique decentia Insignia, non a Populo tamquam a caussa efficiente, Principes hauriunt: sæpe enim ut dictum est, sine Populi consensu, nomen

(1) Lib. XIII. Histor. Cap. XIX.
(2) Diod. Sic. Lib. XX. Cap. IV.
(3) Lib. VII. Cap. III. de Gener. Sum. Imp. Civ. §. 9.

men & Insigne assumunt, quod postea Populus ipse, rebus ipsis ac factis confirmat. Ita postquam se Romulus cætero habitu (nempe *Trabea* ac *Sede Regia*, quod in Servio Tullio clare Livius indicat) augustiorem fecerat, insignia quoque Romanis Regibus propria fecit *duodecim Lictores*: quem morem ab Etruscis finitimis, unde *Toga prætexta* desumpta est, duxisse, Livius idem enarrat (1). Præsensit nimirum Romulus, jura, quibus fit, ut dissociata multitudo in Populi unius corpus coalescat, tum demum sancta generi hominum agresti, futura, si Princeps venerabilem Imperii insignibus se faciat. Itaque Populo inconsulto (quod jure facere poterat, cum Deus Principibus simul cum Imperio, insignia sibi constituendi facultatem concesserit), insignia sibi constituit; Populus autem postea, eadem se rata habere rebus ipsis ac factis, tacito nempe consensu, declaravit.

§. IV. Quæ de Summi Imperii *insignibus* dixi, eadem quoque sine erroris periculo, *de modo Imperii habendi* asseri *generatim* queunt.

Aliud

(1) Lib. I. Cap. XVIII.

Aliud nempe est, ut Grotius inquit (1), *de re* quærere, aliud de *modo habendi*. Constituta itaque ex ordinatione Dei, Summa Potestate, potuit subjectum istud Summæ Potestatis proprium, nempe Princeps non coactus, at volens lubensque, multa cum Populo de regiminis *modo* sive *forma* pacisci ac stipulari, ut Populus nimirum intelligeret, in quo tandem Potestas isthæc poneretur: eaque Pacta, quæ Summam Potestatem semper consequuntur, quæque eamdem, ut summa sit, nullatenus afficiunt, Leges uniuscujusque Populi *fundamentales* appellare. Quamobrem Populi *declaratio* in eo poni potuit, ut Populus *ex post facto*, *vel eodem ad summum actu*, *expresse* declararet, contentum se fore, dum hocce vel illo modo Princeps imperium temperaret, quomodo se illud temperare lubens promiserit. Pluribus autem modis Summum se Imperium moderari Princeps polliceri potuit, Populo non repugnante, vel *jure* nempe *Proprietatis pleno*, vel *jure usufructuario*, vel *jure temporario*, vel demum *precario*, non secus

(1) Grot. Lib. I. de J. B. & P. Cap. III. §. XI. n. 1.

cus ac cæteræ haberi possunt res, quas Jurisconsulti vocant *incorporales* (1). Quocunque autem modo Summum habeatur vel possideatur Imperium, Summum tamen semper erit, legibusque solutum, quibus tenetur Populus; eo quod illud non a Populo, at a Deo Principibus, qui vere Principes sunt, tribuatur.

§. V. Attingam autem pauca de quatuor hisce Summam Potestatem habendi modis, ne alicui fortasse a me hæc temere asseri videantur. I. Haud dubium itaque primum est, Reges nonnullos *pleno proprietatis jure* quædam Imperia possidere. Hujusmodi certe sunt Imperia, quæ quis justo sibi comparavit bello; aut ea, quæ ex voluntaria alicujus Populi *deditione*, aliquis sibi acquisivit: veluti cum Populus quispiam, majoris mali vitandi caussa, ita se in alicujus ditionem dedit, ut nihil excipiat. Ita Campani apud Livium, & Collatini (2) apud eumdem; *Populum, urbem, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia*, in Populi

(1) Grot. Lib. I. de J. B. & P. Cap. III. §. XI. n. 1.

(2) Liv. Lib. VII. Cap. XXXI. & Lib. I. Cap. XXXVIII.

puli Romani ditionem dedunt. Hîc profecto Campani & Collatini Summam Populi Romani Potestatem non constituunt, at se a Pop. Romano regi malle, ut majora evitent mala, declarant. Hanc deditionem, *subjectionem publicam perfectamque* Grotius appellat (1); eamque ad *originarium* ex consensu acquirendi Juris in personas *modum*, ipse quoque doctissimus vir ibidem recenset. Clarissimus autem Hotomannus (2) hoc quidem argumento negat, posse Summa Imperia esse in *pleno proprietatis jure*, sive in Summi Imperantis *Patrimonio*, quod liberi homines in *commercio*, sicuti cæteræ res, esse nequeant. At animadvertisse Hotomannum oportebat, non alio quidem sensu quædam Imperia dici in *pleno* esse *proprietatis Jure*, quam jus perpetuum Populum regendi, quâ Populus, sine ulla exceptione, esse Summum penes Imperantem. Quo sensu rectissime dicitur, Populum aliquem sive per *testamentum*, sive per *donationem*, sive per *pactum* a

K Sum-

(1) Grot. Lib. II. de J. B. & P. Cap. V. §. XXXI. idemque Cap. V. ibidem §. I. & XXVI.

(2) Hotom. Lib. Quæst. illustr. Quæst. I. Tom. I. in fol. pag. 146. edit. 1599.

Summis Imperantibus, qui pleno jure regnant, alienari. Quo sensu legenda sunt quæ apud Veteres de ejusmodi alienationibus forte leguntur. Sic Attalus (1) Eumenis filius, Pop. Rom. bonorum suorum Regnique *heredem* fecit; & ex altera Ciceronis oratione in Rullum plane (2) constat, eumdem Populum, mortuo Nicomede Rege, *hereditatem crevisse*, Regnum Bythyniæ. Tacitus etiam (3) agrorum meminit, qui Regis Apionis quondam habiti, Populo etiam Romano una cum Regno relicti; ac idem Cicero De Lege Agraria (4): *Quis ignorat, Regnum Ægypti, testamento Regis Alexandrini, Populi Romani esse factum?* Quare & Mithridates apud Justinum (5) de Paphlagonia ita loquitur: *Quæ non vi, non armis, sed adoptione testamenti, hereditaria Patri suo obvenisset*. II. Ad eumdem quoque referam *habendi modum*, Imperia, quæ Reges nonulli jure obtinent *usufru-*

Ctua-

(1) Val. Maxim. Lib. V. Cap. II. Flor. Lib. II. Cap. XX.
(2) Cic. Orat. II. in Rul. Cap. XV.
(3) Tacit. Annal. XII. Cap. XVIII.
(4) Cic. Orat. II. Cap. XVI.
(5) Just. Lib. XXXVIII. Cap. V.

ctuario, quales sunt ut plurimum qui primi eliguntur, quique electis legitimo ordine succedunt. Ita Regnum Poloniæ *electivum* est, jureque tantum Reges moderantur *usufructuario*. III. Quamplures Bodinum (1) secuti sibi persuasere, haud posse Summum appellari Imperium, quod perpetuum non sit. Ita, quoniam *ad tempus Dictaturæ sumebantur*, ut Tacitus inquit (2), negant plurimi cum Bodino, *Dictatori Romano* Summum fuisse Imperium, primis etiam temporibus, cum ad Populum adhuc provocatio non esset: Quamobrem negant Summa Imperia eo quidem haberi posse *modo*, ut sint *temporaria*, nec Populo subsint. Verum enimvero Sapientioribus placuit, Grotio præsertim (3), Dictatorem Romanum, & Amnemonas apud Cnidios, jure licet *temporario*, Summum tamen Imperium habuisse: eadem namque Dictatoribus ante Decemviros facultas erat, quæ cuivis Regi, qui Rex sit optimo plenoque Jure. Quare Dictatoris edictum pro numi-

(1) Bodin. Lib. I. De Rep. Cap. VIII.
(2) Tacit. Lib. I. An. Cap. 1.
(3) Grot. Loco sup. adducto.

ne observatum inquit (1) Livius: eique, qui apud Judæos extra ordinem, sive ad tempus Rector Populi a Deo constituebatur, Summa Potestas competebat (2). Quare Bodino primum, deinde cæteris, illud quidem reputandum animo erat, quod tempus facultatem non minuit; neque duratio rerum naturam immutat. IV. Ad *habendi* denique *modum* pertinent illa quoque Summa Imperia, quæ accipiuntur quovis tempore *revocabilia*, unde *precaria* a Juris publici audiunt Scriptoribus; cum *precarium* vere sit ex Jurisconsultorum sententia, quod utendum datur, quamdiu dantis collibitum animo fuerit (3). In hunc censum referri possunt Regna Græcorum antiquissima (4); ac Vandalorum Regnum in Africa, Gothorumque in Hispania, ceu Mariana (5) testantur & Procopius: qui de He-

(1) Lib. II. cap. XVIII.
(2) Deuteronom. XVII. 12.
(3) L. I. D. *De Precario*.
(4) Conf. Jul. Pollucem & Ezechiel. Spanhem. observat. ad Orat. I. Jul. Imp. Pag. 128. & seq. cit. alias edit. Leg. etiam Differtat. nostram, *De Regum Juribus apud Lacedæm. & Athenienses*, in hujusce libelli calce.
(5) Mar. Lib. XVI. Cap. XVII. Procop. Vandalic. Lib. I. Cap. IX.

Herulis eadem quoque narrat non minus, quam de Langobardis Paulus Warnafredi (1). Tum ex Sigonio clare patet, priorum saltem Langobardorum Regum, *precarium* fuisse Regnum: obtruncato etenim Clephone, altero ipsorum, secundum Alboinum, Rege, decem annos XXX. Duces regnarunt; eorumdemque postea, plurium dominatu contempto, ad Regnum res rediit (2).

§. VI. Quibus omnibus conficitur, posse quidem Regem, cui Summa Potestas a Deo collata sit, simul cum Populo de *modo habendi* multa pacisci; quæ tamen pacta cum Summam Potestatem perpetuo consequantur, nequit ab hisce pactis, quæ *Leges fundamentales* Puffendorfius appellat, summum imperandi arbitrium pendere. Quicunque etenim ille sit Summæ Potestatis habendæ modus, a Deo tamen est, non a Populo, ut sit Summa & *independens*, legibusque, quæ universum Populum viritim ligant, soluta. Quæ cum ita sint, non est, cur amplius Puf-

(1) Procop. Goth. II. Cap. XIV. & XV. & Paul. Warnaf. De Lang. C. 4. & 6.

(2) Sigon. De Reg. Ital. Lib. I. Tom. II. ejusd. edit. pag. 22.

Puffendorfius clamet (1), omnes, posita hac sententia, convelli conventiones; & *leges fundamentales*, quæ inter Regem & subditos circa Imperii administrationem ineuntur, everti. Quæ ut facilius cuipiam persuadeantur, ità modo lubet, rem, qua de ago, illustriorem reddere & clariorem. Paterfamilias, qui aliquid suæ Familiæ se facturum pollicetur, quod ad Familiæ gubernationem pertineat, non eo ipso desinet, in sua familia, jus summum, quantum ipsa Familia fert, habere. Quo exemplo id probatur, non desinere Imperium esse Summum, etiamsi is, qui imperaturus est, promittit aliqua subditis aut ipsi Deo: promittit namque non coäctus, at volens lubensque, ex rationis præscripto, quod libertatem auget, non minuit. Ita apud Persas Summo Rex utebatur imperio, & tamquam Dei adorabatur imago (2), neque mutabatur (3) nisi morte; Rex, inquam, erat, uti loquitur (4) Valerius Maximus, qui Persarum Proceres hisce verbis alloquebatur: *ne vide-*

(1) Lib. VII. De J. N. & G. Cap. III. §. III.
(2) Plutarch. in Themist. Pag. 125.
(3) Justin. Lib. X. Cap. I.
(4) Valer. Maxim. Lib. IX. Cap. V. n. 2.

derer meo tantummodo usus consilio, vos contraxi. Cæterum mementote, parendum vobis magis esse, quam suadendum: Hujusmodi tamen Rex αυτοκρατης και ανυπευθυνος erat, & jurabat tamen cum Regnum adiret (1), legesque certa quadam forma datas nefas illi erat (2) mutare. Quæ de Æthiopum quoque Regibus tradit Diodorus (3); idemque de Ægyptiorum etiam Regibus scribit, eos (4) Summo Imperio usos, tametsi ad multarum rerum obligationem fuerint devicti. Similibusque exemplis scatet omnis Historia. Ita Trajanus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecravit (5); idemque cum pugionem (hoc factum æmulatur Athalaricus Gothorum Rex apud Cassiodorum, uti inferius) Præfecto Prætorio tradidisset: *hoc pro me utere*, inquit, *si recte impero; si male contra me* (6). Imperator etiam Adrianus ju-

(1) Xenoph. in Cyroped.
(2) Plutarch. in Artaxerf. Pag. 1024. & seq.
(3) Diod. Sicul. Lib. III. Pag. 102. Cap. V.
(4) Idem lib. I. Pag. 44.
(5) Plin. in Panegyr. Cap. LXIV.
(6) Plin. Panegyr. Cap. LXVII. n. 8. & Cassiod. Var. VIII. 13.

juravit, numquam se Senatorem, nisi ex Senatus sententia puniturum (1), & Imperator Anastasius juravit, se Concilii Chalcedonensis decreta servaturum (2). Quæ omnia, ad *habendi modum* recte referuntur. Quamobrem bene doctissimus Grotius *Summitatem Imperii ab habendi plenitudine* distinguit (3).

§. VII. Commemorabo postremo hic insignem Sexti Empirici veteris Philosophi caussarum efficientium partitionem, ut inde largiorem, sententia, quam pro virili aggressus sum propugnare, accipiat lucem. Quum tres sint, inquit, modi, quibus efficientes caussæ quidquam agunt (4): tria item sunt ejuscemodi caussarum genera intelligenda. Quamobrem aliæ sunt *Synecticæ*, aliæ *Synetiæ*, aliæ *Synergæ*. Τουτων δε των αιτιων, Sextus Empiricus ait, οι μεν πλειυς (dogmaticorum nempe) ηγουνται, τα μεν συνεκτικα ειναι, τα δε συναιτια, τα δε συνεργα. *Caussæ* autem efficientes *Synecticæ* sunt eæ, quæ ipsæ per

(1) Spartian. in ejus Vita Cap. VII.

(2) Zonaras Lib. XIV. Cap. III. Confer Cassiod. X. 16. 17.

(3) Lib. I. de J. B. & P. Cap. III. §. XIV.

(4) Sext. Empiric. Hypoth. Pyrr. Lib. III. Cap. II.

per se, nullis aliis adjumentis, effectum procreant, eæque sunt procul dubio *primæ & immediatæ*. *Synetiæ* vero, quæ parem cum aliis vim ad aliquid efficiendum præstant; quæque propterea *concaussæ* rectissime appellantur. *Synergæ* tandem, quæ nonnihil afferunt quidem auxilii, at quæ nec integra sunt effectus *caussa*, neque præcise *concaussa*. Utar rei explanandæ paulo difficiliori, eodem exemplo, quo usus olim est magnus nostras Philosophus, isque acutissimus (1). Agant, ex. g. apposite ille inquit, Romani suis tantum copiis adversus Cathaginenses bellum, debellentque, Romani αιτιος erunt συνεκτικος, caussa nempe *per se sola*, *totum effectum complectens*. Pares illis Latini vires præstent: uterque αιτιος erit συναιτιος, *concaussa*, vel *æque caussa*. Copias demum auxiliares Latini mittant, non eas tamen Romanis pares, αιτιος dicentur συνεργος, *caussa* nempe *auxiliatrix*. Itaque quarum rerum aliquis solus caussa est, earum caussa est *Synectica*; quarum ex *medietate* caussa est, est caussa *Sy-*

(1) Anton. Gen. Elem. Metaphys. Tom. III. Part. III. in append. ad Cap. IV. §. II.

Synætia: *Synerga* postremo earum, in quibus non primas partes agit, at subsidio tantum venit. Qua posita caussarum efficientium summa partitione, facile quisque intelliget, Populum, cum nonnihil, circa Summæ Potestatis habendæ *modum*, conferat, esse propterea, caussam *Synergam*: Deum autem, licet caussa *Synectica* esse nequeat, esse tamen Summæ Potestatis caussam *Synætiam*, eamque, quæ primas agat partes in constituenda Summa Civili Potestate. Restat igitur, ut concludam omnia pauculis: Deum *primario* Summam Principibus conferre Potestatem; Populum vero *secundario*, iis, quibus dictum est, *modis*. Quæ nemo quidem, dummodo non sit caudex, aut plumbeus, confidenter negaverit.

CAP.

CAP. X.

Scholia quædam, quibus eorum argumenta, Vasquii, Hotomanni, Junii Bruti &c. solvuntur, qui Summam Potestatem esse contendunt penes Populum. Auctoris sententia roboratur magis. Grotius etiam in pluribus refutatur.

§. I. Duobus potissimum pugnant argumentis, qui Populorum libertati æquo justius indulgent, ut Summam ostendant Potestatem, in unaquaque Civitate, & in quavis regiminis forma, esse penes Populum; quem universum singulis contendunt Principibus præstare. Primum autem sic se habet. I. Is profecto, a quo aliquis constituitur, est constituto superior: quare, cum unusquisque Princeps a Populo constituatur, Populus qui Principem constituendo jubet, Principi antecellit. II. Omne regimen eorum, qui reguntur, non qui regunt, caussa, est comparatum: itaque, cum finis sit omnium nobilissimus, illi qui reguntur, Populus nempe, ei præstant, qui regit. Hoc præsertim argumento abutitur Vasquius

squius (1) . Quam vero frigida sint hujusmodi argumenta ac evanida, ex Scholiis, quæ sequuntur, luce clarius patebit.

SCHOLION PRIMUM.

§. I. PRimum illud argumentum; sive πρωτον illud ψευδος, quo viri alioquin doctissimi (2) in transversum acti, omnia Populo in Reges ac Principes, permiserunt, licet prima quidem fronte alicujus momenti nonnullis videri queat; tantisper tamen si perpendatur, nullius est ponderis, neque hujusmodi, quod Populum Principi a se constituto, præstare ostendat. Age, alteram paulisper perpendamus prioris argumenti partem, qua ponitur, unumquemque Princi-

(1) Vasq. Lib. I. Cont. illust. 18.

(2) Hoc potissimum argumento conati sunt Monarchomachi, Franc. Hotomannus, Steph. Junius Brutus (sub cujus nomine alii Hub. Languetum, alii Geor. Buchanan. alii alios latitare contendunt) Jo: Milton, plurésque conati, inquam, sunt ostendere, *Majestatem Realem* esse penes Populum, *Majestatem* vero *Personalem* esse penes Principem. Leg. Jo: Franc. Bud. Hist. Jur. Nat. & Gent. §. LII.

cipem a Populo constitui. Bene intelliget hîc, quicunque neutri conspirat parti, Monarchomacos in ea versari fallacia, quam scholæ nuncupant *petitionem principii*, veteres autem *pistilli* versationem. Equidem hactenus pluribus evincere conatus sum rationibus, Potestatem Summam Deum Principibus tribuere, adeoque Deum Principes constituere per Populi *consalutationem ac designationem*, qua fit, ut, Deus ipse Summam Principibus tribuat Potestatem. Quod nisi verum esset, quî Principes juribus nonnullis augerentur, quibus Populus usum numquam fuisse clare intelligitur? Nemo sane e Populo jus vitæ & necis in se habet; quod Deus pro singulari hominum *possessione*, a qua se numquam abdicavit, sibi retinuit. Summi autem Imperantes eo quoque jure aucti censentur, quod sine dubio carerent, nisi illud a Deo, a quo cætera manant, accepissent. Populus ergo non constituit Principem, eum vero constituit Deus, electioque ac suffragatio, accedenti dumtaxat hominum opera, ut inquit Themistius (1), perficitur. Unde bene Ziegle-

(1) Them. Orat. XVI.

glerus ait (1) : *in multitudine seu civitate est solum potestas deputandi, seu eligendi Personam Personasve a quibus regatur*. Quamobrem nec illud verum est, quod Grotius (2) putat, extincta nempe Domu Regnatrice, Imperium ad Populum redire : redit namque eligendi tantum potestas ac designandi alium aliosve, a quibus regatur, non ipsa imperandi facultas.

§. II. Deinde *absolute* verum non est, quod Populus sibi Principem perpetuo constituat, ita ut eum jubeat: sæpenumero enim accidit, ut constituat sibi Principem *obediendo* tantum. Quod ex veteri etiam Historia facile pluribus confirmatur. Primum, cum Populus aliquis in salutis discrimen adductus, alio pacto, quo se defendat, haud inveniat, fieri tunc potest, ut omne imperandi Jus a se ipso abdicet, aliique tradat, sub cujus fide securus vivat. Ex Justino quidem constat, Phryges (3), quô discordiis mederentur intestinis, Regem sibi creasse; Ve-

(1) Ziegl. in not. ad Grot. Lib. I. Cap. III. §. VII. n. 3.
(2) Grot. loco cit. paulo inferius.
(3) Justin: XL. XVII.

Vejentes quoque (1) annuæ ambitionis ac discordiarum tædio, Regi se obnoxios reddidisse; Athenis demum Bello Peloponnesiaco, Rempublicam a Populo translatam in Senatum (2). Superius autem, quæ ad rem etiam facit, Populi Collatini deditionem ex Livio memoravimus; simillimaque apud eumdem Rerum Romanarum scriptorem mellitissimum, Campanorum deditio (3) legitur, qui necessitate coacti, Populo Romano se in hunc modum subjecerunt: *Populum Campanum, Urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia, in vestram, P.C. ditionem dedimus*. Num itaque Populus Campanus, Romano Populo, cui se dedit, quemque sibi Principem constituit, antecellit? Fabulæ. Secundo: quid obstat, quominus & uni homini potentiori, maximo ac valido, uti supra apud Æthyopes obtinuisse observatum est, Populus aliquis se dedat? Tertio accidere potest, uti Paterfamilias, latifundia possidens, advenas in suas terras sub una obediendi le-

(1) Liv. Lib. V. Cap. I.
(2) Justin. Lib. V. c. II.
(3) Liv. Lib. VII. Cap. XXXI.

lege recipiat. Quod exemplo non caret. Ita de servis Germanorum apud Tacitum (1) memoriæ proditum est, *suam quemque sedem, suos penates regere. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono, injungit, & servus hactenus paret*. Hi fortasse sunt servi illi, quos Romani Prudentes *adscriptitios*, seu glebæ addictos nuncuparunt; Gentem nempe, uti Aristoteles (2) inquit, *natura servos*, scilicet ad servitutem ipsa natura aptos. Neque dubium est, quin plures Populi eo sint ingenio, ut regi potius, quam regere rectius norint. Ita de se Cappadoces sensisse Strabo (3) testatur & Justinus: quippe qui oblatam a Romanis libertatem respuerunt, ajentes, se vivere sine Rege haud posse.

§. III. Ponamus autem tantisper, quod sane verum non est, Populum sibi Principem constituere: neque inde necessario inferetur, constituentem esse constituto majorem. Quod Senecæ verbis evincitur: *quædam*, inquit (4), *initium ab aliis trahunt*

(1) Tacit. De Morib. Germ. Cap. XXV.
(2) Aristot. Polit. Lib. II.
(3) Strab. Lib. XII. pag. 544. & Justin. Lib. XXXVIII. C. II.
(4) Senec. Lib. III. De Benef. Cap. XXIX.

hunt, & tamen initiis suis majora sunt. Nulla non res principia sua magno gradu transit. Semina omnium rerum caussa sunt, & tamen minimæ partes sunt eorum, quæ gignunt. Adspice Rhenum, adspice Euphratem, omnes denique inclytos amnes; quid sunt, si illos illic, unde effluunt, æstimes? Eo itaque Populis constituentibus, Principes præstant; quod, etsi Populi eos designent, Potestatem autem ac Potestatis incrementum tribuit Deus. Quod si vera umquam proposita regula esse potest, vera dumtaxat erit in ea quidem constitutione, *cujus effectus perpetuo pendet a voluntate constituentis*, ut Grotius inquit (3), *non etiam in ea, quæ ab initio est voluntatis, postea vero effectum habet necessitatis*. Ita, quamvis mulier virum sibi constituat, viro tamen perpetuo subest, eique paret perpetuo, nec umquam marito antecellit, nec ei

 do-

(3) Grot. Lib. I. Cap. III. §. VIII. n. 13. Hanc vero, quam Grotius tradit exceptionem, reprobare videtur doctissimus Tesmarus ad Grot. hoc loco; qui scribit, neque id universaliter esse verum. Quum enim cliens quidam humilis nobilem sibi constituit advocatum, servus dominum, discipulus Præceptorem, constituens profecto non est constituto major.

dominatur umquam. Servus quoque, licet domino alicui ultro se in servitutem addixit, insanus tamen esset, si domino se se superiorem jactaret, eo quod ipse sibi Dominum constituerit. Potius qui Dominum sibi constituit, voluntati suæ videtur valedicere; ac sicuti appellari amplius non potest liber, qui alterius jam dominio obnoxius, haud libera vivendi amplius vivit consuetudine, ita neque Domino is superior potest intelligi, cui necessario servit.

§. IV. In hac ipsa autem Grotii exceptione, res postulat, ut paulisper etiam subsistamus. Verum itaque Grotius censet, quod constituens constituto sit major, cum constitutionis effectus a constituentis voluntate perpetuo pendet, non item, cum effectus rationem habet necessitatis. Quamobrem Grotius putat, Summam Potestatem Civilem, jam sponte a Populo primum constitutam, necessario tamen postea, etiamsi Populus nolit, Populo imperare. Quî tandem, quæso, fieret isthuc, nisi, quod prædico, verum esset, Populum in Summæ Potestatis constitutione non agere, nisi ut Caussam *Synergam*; Deum vero *primas agere*

par-

partes, Principibusque Imperium; quod Summum sit ac prorsus ἀνυπεύθυνον, conferre? Profecto, quid majus est, aliquam personam ad Majestatis culmen tergeminosque honores evehere, quam eamdem deponere; quod fieri facile potest per *actum negativum*. Quod si ergo necessitatis est, ex Grotii sententia, Principibus a Populo constitutis, ipsummet postea Populum obtemperare; illa certe parendi necessitas a Dei pendebit ordinatione, adeoque nec Populus, verum Deus Summam constituet Potestatem; subjectumque illud proprium, persona una pluresque, cui vel queis Summa Potestas tribuitur, ἡ πρώτη ἀρχὴ evadet ex Dei ordinatione, uti apud Galenum appellatur (1). Quare bene militibus Valentinianus olim Imperator respondit, Imperii collationem, veluti eorum beneficium, importune eidem exprobrantibus: *Ut me* (me scilicet potius quam alium, in quo mera ponitur *designatio*) *ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites: at postquam me elegistis, quod petitis in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tamquam sub-*

(1) Lib. VI. De Plac. Hippocr. & Platon.

ditis competit parere, mihi quæ facienda sunt, cogitare (1). Nec dissimilia, quamvis plusculum emollita, ab eodem Valentiniano militibus dicta, Ammianus refert Marcellinus (2).

SCHOLION ALTERUM.

§. I. DEpulso jam futili priori argumento, quod Achilleum putant Monarchomachi, ad alterum aggrediar, non infeliciori fortasse exitu oppugnandum. Argumentum alterum ex finis præstantia petitum, id concludit, Populum nempe, qui regitur, Principe nobiliorem ac superiorem esse, qui id propterea constituitur, ut Populum gubernet, Populique regimini vacet. Quod argumentum non id probat, nisi fallor, quod oppositæ sententiæ putant patroni: at contra ostendit perspicue, omne regimen ac Imperium respicere per se utilitatem eorum, qui reguntur, non ejus eorumve, qui regunt; sive ut complectar omnia paucis, illud probat, quod nemo negat, fruen-

(1) Theodoret. Lib. IV. Cap. VI.
(2) Amm. Marcel. Lib. XXVI. Cap. VI.

fruendæ justitiæ caussa, Reges fuisse constitutos. Quod ultro concedimus. Omnis namque vetus historia id confirmat, omnesque tum Poëtæ, cum Philosophi Scriptores. Ne longior sim, paucis me expediam exemplis. Primum ex Herodoto (1) arcessam, qui dum Dejocis narrat, filii Phraortis, privati primum hominis, deinde Regis, incorruptam justitiam, artemque, qua Rex tandem apud Medos ex Populi consensu evaserat, sic infit: ως δ' εγω δοκεω; *ut mihi videtur*, maxime Dejocis amici, ελεγον, dicebant: *Nequaquam præsenti modo viventes hanc nostram regionem possumus habitare; age, constituamus nobis ipsis Regem, ut sic regio nostra bonis legibus administretur, & nos ad opera eamus, neque præ impunitate scelerum excidamus*. Itaque Medi, Dejocem, convocato concilio, Regem crearunt, ut *Justitia* nempe, almaque *Pace* fruerentur. Hesiodus quoque ante Herodotum in sua Theogonia (1) cecinerat, Reges a Jove nutriri, (unde & Διοτρεφεις eos appellat v. 82.) Populosque ad ipsos respicere,

 qui

(1) Herod. Lib. I. Cap. 69. & 97.
(1) Hesiod. Theog. v. 82. & seq.

qui *rectis Jus discernant judiciis*. Quare Tullius etiam scripsit (1): *Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros, justitiæ fruendæ caussa, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant: ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat.* Hinc Justinus Martyr, isque Philosophus insignis, Antoninum (2) alloquens, Imperatores appellat φυλακας δικαιοσυνης, *justitiæ custodes*. David quoque Rex fausta quæque ac felicia Salomoni ejus filio ominaturus, Psalmum pepigit, quod ita exorditur: *Deus judicium tuum Regi da & justitiam tuam filio Regis, ut judicet Populum in justitia & pauperes tuos in judicio*: licet Justinus idem (3) Psalmum hunc dictum fuisse asserat de Christo: Extat tandem D. Nervæ edictum apud Pli-

(1) Cic. Lib. II. De Offic. Cap. XII.
(2) Just. Mart. Apol. II. ad Anton. Pag. 53. ex interp. Jo: Langi edit. Colon. in Fol. an. 1686.
(3) Idem Dialog. cum Tryphon. Jud. Pag. 251. ejusd. edit.

Plinium (1), quod me hîc juvat apponere : *Hoc sibi*, (ita se enim habet) *quisque civium meorum spondere potest, me securitatem omnium quieti meæ prætulisse*. Cui congruit Alexandri illud apud Arrianum (2) : *Pro vobis vigilare me, certo scio, ut ipsi nimirum placide quieteque dormiatis*. Nonnihil, quod spectat ad hanc quoque rem, de Magistratu principi, sive de principe Reipublicæ custode, scribit etiam Plato (3); qui est omnino legendus.

§. II. Ad id vero rediens, unde profectus sum, non minus absurdum est, profiteri, regimen omne ob utilitatem eorum, qui reguntur, comparatum fuisse, ac deinde rectorem iis subjicere, quos oportet regi; quam asserere animum id propterea homini datum, ut gubernatoris vice fungatur, illum vero corpori, quod gubernat & animat, ob finis præstantiam credere obnoxium. Nulli vero dubium esse potest, quin animus corpori, cui regendo destinatur, valde antecellat. Quam re-

(1) Plin. Lib. X. Ep. 66.
(2) Arrian. Lib. 7. p. m. 458.
(3) Plat. De Rep. Lib. I.

recte autem comparatio isthæc procedat, ex eodem Justino patet, qui hocce modo ratiocinatur: και ως συγκειται ο ανθρωπος εκ ψυχης και σωματος, ουτος και η Βασιλεια συγκειται εκ του Βασιλεως και των βασιλευομενων (1); *& sicut homo ex anima & corpore constituitur, ita Regnum ex Rege & iis, qui reguntur, coaugmentatur*. Quare Tacitus, Remp. Romanam unum imperii corpus appellat, unius animo regendum. Est itaque Regnum corpus aliquod *morale* perfectum, quod non minus, quam *physicum* animo, innata quadam subjectione, quæ ex ipsa regiminis natura, fluit, Summo Imperanti subest, licet ipse Summus Imperans, Principem non agnoscat, qui de se judicet, nisi Deum. Utilitas autem ipsa eorum, qui reguntur, hujusce subjectionis caussa est; quippe quæ ipsis Rectoribus Summum Jus ac Potestatem, omnia pro Populi commodo agendi tribuit: non secus ac Pupilli utilitas, qui ob lubricum ætatis se tueri nequit, caussa est, cur Tutela sit Jus ac Potestas in Pupillum (2). Neque regerat quis-

(1) Quæst. & Resp. ad Orth. q.138. p.437. ej. edit.
(2) Lib. I. Inst. Civil. Tit. XIII. §. I.

quispiam, Tutorem persæpe, si rem pupillarem vexet ac male administret, a tutela removeri. Hæc etenim in Tutore recte procedunt, qui superiorem habet, vel *immediatum* ac *proximum*, ipsum nempe Magistratum, vel *primum* eumque *remotiorem*, videlicet Principem: Minime autem recte sese res habet in Summis Imperantibus, sive *status Publici* tutoribus. Cum enim caussarum progressus in infinitum repugnet, uti Aristoteli placuit, in aliqua demum aut persona aut cœtu est consistendum, qui quæve omnibus præsit; præstantiorem autem ipse ac superiorem, præter Deum, habeat præterea neminem. Hinc est, quod supra monuimus, Deum Principum peccata vindicanda sibi reliquisse (1); omnesque omnis ævi Gentes illud sibi etiam habuisse persuasum, nequaquam Populo licere adversus Principes furere, Deumque dumtaxat de Principibus judicare. Achilles, cum Regi esset iratus, & ab eo diffideret, hastam & clypeum abjecit, ac Heroum res gestas psalterio cecinit ac cithara. *Sapienter il-*

le

(1) Conf. Jerem. XXV. v. 12.

le quidem, apposite Julianus (1) inquit; *nam adversus Regem inimice se gerere ac lacessere*, *contumax nimium videbatur & petulans*. Hinc Deo a Veteribus committi solebat ultio. *Cleopatra*, Justinus scribit (2), *mandata violatis numinibus ultione sui*, *decedit*. Chryses apud Homerum (3) ab Agamemnone contumeliose dimissus, Apollini ad obstrepentis maris littus supplicat,

- Τισειαν Δαναοι εμα δακρυα σοισι Βελεσσιν
„ Pendant pœnas Danai ob meas
„ lacrymas tuis sagittis.

Quare Seneca Thyeste prope finem;

. . . . Vindices aderunt Dei:
„ His puniendum vota te tradunt mea.

idemque in *Octavia*, v. 255.

„ . . . . Forsan vindex Deus
„ Existet aliquis, lætus & veniet dies.

La-

(1) Julian. Orat. II. Pag. 50. ejusd. edit.
(2) Justin. Lib. XXXIX. Cap. III.
(3) Hom. Iliad. I. v. 42. Conf. Sophoclem in Electra v. 172.

Lactantius (1): *cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur, sed Deo remittimus ultionem*.

§. III. Cur autem Populi legantur interdum puniti ob Regum peccata (2)? Lege sis genuinam hujusce rei rationem apud Justinum Martyrem eumque Philosophum eximium (3) & apud Grotium, qui eam inde sine dubio adscivit, ac pro sua usus porro est. Supplicio nimirum omnium maximo Reges afficiuntur, cum subditis orbantur, qui simul cum Regibus magnum illud *morale* corpus efformant, quod *Regnum* appellavimus paulo superius. Proprius itaque loquendo, non Populi quidem puniuntur, cum ob Regum facinora eosdem Deus divexat, at Reges potius suorum scelerum in membris suis, nempe subditis, pœnas luunt. David itaque supplex Deum exoravit, ne Populum acerba peste consumeret, quovis alio contentus supplicio. Cave itaque exi-

sti-

(1) Lactant. Lib. V. Cap. XX.
(2) Reg. XIV. c. 16.
(3) Quæst. & Respons. ad Orthodox. pag. 138, ejusd. edit. Conf. Grot. Lib. I. De J. B. & P. Cap. III. §. 8. n. 16.

ſtimes , id propterea Populos aliquando punitos, quod in Regem talia peccantem, ſtatim non animadverterint, eoſque tamquam ſuperiores, minime depoſuerint.

§. IV. Denique , quô prorſus propoſitum Monarchomacorum ruat argumentum, operæ pretium eſſe me facturum opinor, priorem ipſius argumenti propoſitionem paucis amplius ludificari. Profecto verum omnino, ſive ut ſcholæ loquuntur, *univerſaliter* non eſt , omne Regimen eorum cauſſa , qui reguntur , inſtitui . I. Regimen namque dominicum per ſe ac *primario* non ſervorum , at Domini cauſſa comparatum eſt; *ſecundario* autem ob ſervientium quoque utilitatem. II. Regimen maritale , mutuæ utilitatis commodique cauſſa, comparatur quotidie . III. Imperium bellicis partum ſudoribus , ob victoris tantummodo utilitatem partum cenſetur : IV. Quædam regimina utilitatem reſpiciunt tam ejus , qui regit , quam qui regitur , ſive utilitatem commodumque reciprocum . Ita ſuperius de Populis quibuſdam dictum eſt imbecillioribus, veluti de Collatino & Campano, qui cum ſibi non ſufficerent , ſibimet tuendis potentiorem Populum , uti Roma-

manum, imposuerunt. Ubi utilitas mutua. Quam rem pulchre vidit Aristoteles (1): εστι δε, inquit ille, αρχη η μεν τȣ αρχοντος χαριν, η δε τȣ αρχομενȣ &c. *Imperium aliud est ob utilitatem Imperantis, aliud ob utilitatem ejus, cui imperatur.* Non est itaque, cur tantopere adversus Summos Imperantes, contortulis hisce conclusiunculis furibundus præcipue Vasquius debacchetur. Quod argumentum, ut quæ sentio, aperte dicam, adeo deforme est, ut nulla arte, nulla cerussa, nullo fucari possit purpurisso. At inferius fortasse de eodem argumento pluribus aptiusque disseram.

(1) Aristot. Lib. VII. De Rep. Cap. XIV.

CAP. XI.

Reliqua exponuntur momenta, quibus magis evincitur, Potestatem Summam Civilem non a Populo, verum a Deo derivandam. Ea ex omni Jure, omnigenaque Historia repetuntur. Barbeyracius refellitur.

§. I. Futilibus jam vero depulsis argumentis, quibus Monarchomachi cum ratione insanire mihi videntur; reliquâ nunc exponam, quæ supersunt, momenta, quibus facile mihi persuadeo, Potestatem Summam *primario* a Deo derivare, eamque Populo antecellere. Iidem illi putarunt, publicæ tranquillitatis pernicies, perjuri, Monarchomachi videlicet, quos antea nominavi, posse Populum ex falso principio, quod Regibus præstet, Principes intra potestatis limites, si ea abutantur aliquando, coërcere, iisque resistere in infinitum, ac in infinitum insultare. Quæ quam sint absurda, nunc ostendendum aggrediar: simulque eorum refutabo sententiam, qui putant, nisi Populo, Magistratibus saltem, qui inter Partes Summi Imperii *Poten-*

tia-

tiales a Grotio & Gronovio (1) recensentur, id licere semperque licuisse. Quæ ut accuratissime exequar, ad omnia Jura, oculos animumque convertam; ut inde clarissime ostendam, quod velim, Summam Potestatem a Deo pendere, qui unus propterea Principibus a recta administrationis via aberrantibus, queat resistere. Jura, inquam, hîc omnia, Naturale nempe, ac Divinum positivum, tum Vetus, cum Novum, sive Christianum; Humanum denique, illudque sive Civile sive Ecclesiasticum, præsto mihi erunt. Quæ quidem Jura, cum Deus (2) mortalibus impertitus fuerit: facile inde manifestum fiet, Principes nonnisi a Deo, qui sarctam tectam eorum personam auctoritatemque hisce juribus tuetur, Potestatem Summam recipere. Christianorum denique veterum consuetudo, magis, quæ proposui, roborabit.

§. II. Et sane ex Jure quidem Naturali

(1) Grot. Lib. I. Cap. III. §. XVII. n. 1. conf. Gronov. in not. ibidem 89.

(2) Deus est omnium Jurium auctor, *indirecte*, quatenus est auctor Juris Naturalis, a quo si aliquid detrahas, aut addas, statim Jus Civile efficias. Quæ nisi fallor, Ulpiani sententia est. Item *indirecte* auctor etiam est Juris Ecclesiastici.

rali primum constat, quod si qua ex tali caussa, aut alioquin, quia Summum habenti Imperium ita lubet, injuria nobis inferatur, eam tolerandam potius esse, quam vi resistendum. Qua quidem in specie aliter profecto Jus Naturæ procedit, quam in injuriarum persecutione adversus privatos, quibus lacessitis, licet a se per vim, ut Tullius inquit (1), nisi per disceptationem fieri queat, injuriam propulsare. Contra hæc, quoniam Deus societatem civilem publicæ constituendæ beatitudini, uti supra diximus, ordinavit, Rectoresque præfecit, qui publicæ rei moderandæ, ac publicæ procurandæ tranquillitati, vigilarent: statim hinc Civilis Societatis Rectori, qui a Deo est, jus quoddam majus ac supereminens in Cives Civiumque bona nascitur. Quod Summum Jus id efficit, ut Summus Civitatis Rector, civibus eorumque bonis publicæ procurandæ rei, ex arbitrio primum utatur, parumque privatorum incommoda curet, rerum summæ profuturus. Idem porro Jus efficit secundo, nisi fal-

(1) Lib. I. De Offic. Cap. XI.

fallor, ut si aliquando rem publicam curans, nonnullis Civibus eorumque bonis pro lubidine abutatur cum ipsorummet Civium pernicie, minime tamen privatis, Summo liceat Civitatis moderatori resistere. Eo enim ipso temporis articulo, quo civibus abutitur ad perniciem, est tamen Princeps, ejusque opera, rerum summa administratur: quo deficiente jam ruit publica res, ipseque statim Civitatis intervertitur finis præstantissimus, quem Deus ordinavit, tranquillitas nempe publica, omnibusque Pax optatissima. Facit ad rem nobilis Dionis Cassii sententia (1): φυσει δε αναγκαια τινα και σωτηρια τῳ μεν αρχειν εν τοις ανθρωποις, τῳ δε αρχεσθαι τετακται *Natura autem id necessarium & hominibus salutare, ut alii quidem imperent, alii vero pareant*. Jus itaque illud, quod, ipsa natura duce, impertitus nobis Deus est, vetat promiscuam illam resistendi licentiam Summo Civitatis moderatori, sine quo Civitas, dissociata erit multitudo ac confusa turba, nemo ubi audit neminem,

M ακυει

(1) Dion. Cass. Lib. XLI. pag. 189. edit. H. Steph.

ακούει δ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενος, ut Euripides(1) ait. Quamobrem recte Grotius contra Vasquium (2) asseruit, quod, etiamsi ponatur, Imperia omnia parentium, haud imperantium spectare utilitatem, ac si ponatur etiam, aliquando Summum Imperantem privati cujusdam hominis utilitati non prospicere, eumque, licet innocentem ex lubidine pessumdare, non desinit esse Princeps *ipso facto*: *non enim*, inquit, *statim res deficit*, *cujus utilitas aliqua in parte deficit*. Itaque numquam impetrare a me ipse potui, ut clarissimo Barbeyracio assentirer, qui (3) in Scholiis præsertim Gallicis; quæ Latinis sunt prolixiora, ad Grotium, distinguit inter *injurias dubias & tolerabiles*, *manifestas & intolerabiles*; affirmatque posse quidem a singulis Civibus, quibus intoleranda sit ac manifesta injuria illata, Summo resisti Imperanti. Singuli enim Cives, ait, Reipublicæ incolumitatem exoptant propter semetipsos, adeoque debet quisque, to-

(1) Euripid. Cyclop. v. 120.
(2) Lib. II. de J. B. & P. Cap. I. §. 9. n. 2.
(3) Barbeyrac. ad Grot. Lib. I. Cap. IV. §. II. n. 1. & eumdem Lib. II. Cap. I. n. 1.

toti etiam Reipublicæ ſuam anteponere ſalutem : neque ulla porro utilitas Reipublicæ, ſi innocens nihil tale commeritus, a Principe male ſe haberi patiatur, pro certo erit umquam reditura. Quæ nemo non videt, ſi penitus animo recipiantur, quot ſeditionibus locum ſint facile præbitura. Itaque nihil puto fuiſſe umquam dictum majori cum periculo, aut minus vere. Illud primum deſipere eſt, debere quemquam toti Reipublicæ ſalutem ſuam præferre, adeoque cuipiam reſiſtendi jus competere. Non tantum enim noſtri cauſſa, incolumem Rempublicam exoptare debemus, verum etiam & aliorum cauſſa, qui ſimul nobis ſingulis ſunt quid profecto majus atque præſtantius. Deinde neque illud eſt verum, quod clariſſimus ponit Barbeyracius, utilitatem publicam, ſublato promiſcuo reſiſtendi jure, dubiam etiam, imo dubiam magis evadere. Sublato etenim hoc jure certum eſt, ipſam Remp. non interire, cui integrum caput adhuc manet : illo autem jure permiſſo, dubitari nequit, quin uno vel altero ad ſummum die, diſtrahatur ac pereat.

§. III. Quid tum autem, ſi ſummus

Civitatis Rector *manifestas*, ac *intolerandas* Civibus inferre injurias pergat? Licet tunc saltem illi, qui obstinate operam dat, ut cives miseros perdat, resistere? Ne tunc quidem licet. Resistendi enim Jus ex æqualitate oritur, quæ inter Principem subditosque nulla intercedit. Itaque enixe tunc Deus exorandus erit, ut Principi bonam mentem duit: neque enim *facienda sunt mala, ut veniant bona*, quod bene Apostolus monet. Itaque modeste ferendum. Quæ quidem confirmari magis lubet, Scriptorum quoque aliorum, quos superius missos feci, mirabili consensu eoque pespicuo; quem nonnisi a *Jure illo*, quod a *Natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus*, ortum traxisse, censendum est. Repetam hic vero primum Augustini dictum illud celeberrimum apud Gratianum (1): *Generale pactum est societatis humanæ Regibus obedire*. Afferam deinde (neque elegantioribus ingeniis, quibus vetera maxime sapiunt, fastidium me creaturum suspicor) nonnulla Sophoclis effata, quæ ad rem mi-

(1) Dist. VIII. Can. 2.

mihi magis facere videntur: quorum primum ita se habet (1).

„ Αλλ' ον πολις ϛεσειε τουδε χρη κλυειν
„ Και σμικρα και δικαια, και ταναντια.
„ Quem Urbs præfecit, hic audiendus est
„ De parvis, justis, & injustis

Et idem v. 989. clarius ibidem.

„ Κρατος δ' οτῳ κρατος μελει
„ Παραβατον ουδαμη πελει.
„ Auctoritas non est violanda
„ Eorum, qui Imperium tenent.

Ratio est, quam ob similem fere caussam tradit Plautus (2):

„ Indigna digna habenda sunt, herus
„ quæ facit;

ut consistat nempe dominica potestas, servique heros debito prosequantur obsequio. In eamdem sententiam Sophocles (3) alibi, Principem inducit Creontem ita loquentem:

 υβρις,

(1) Sophocl. in Antigone v. 676.
(2) Plaut. Captiv. II. I. 6.
(3) Sophocl. in Oedip. v. 922.

υβρις, αλλ' ανεκτεα;

„ Est contumelia, sed ferenda tamen.

Quamobrem Plato, omnesque porro, qui Poëtas secuti sunt Philosophi, aliique prorsæ orationis Scriptores, una omnes voce idem Jus contutati etiam sunt. Et Plato quidem in Apologia (1) Socratis: Το δ'αδικειν, inquit, και το απειθειν τῳ βελτιονι, και θεῳ και ανθρωπῳ, οτι κακον και αισχρον εςιν οιδα: *hoc unum certo novi inferre cuiquam injuriam, aut rebellem esse ei, qui nobis superior præsit, seu Deo seu homini, illud vero nefarium & turpe esse* (2). Seneca autem ita scribit (3): *Judex est, qui lædere videtur? plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? Si nocentem punit, cede justitiæ; si innocentem, cede & for-*

(1) Plat. p. m. 29.

(2) Apposite observandum est, Græcas Gentes tanto cum obsequio Reges olim suos coluisse, ut nihil sibi adversus eos permiserint. Reges tamen apud eas, non erant, uti apud nos, summo aucti plenoque Jure. Vid. Diss. nostram in hujusce libelli calce. Adeo verum est, Reges tamquam Deo oriundos suspicere, subditos debere! neque illud adrogari sibi resistendi Jus, quod Dei ordinationi opponi luculenter ex super. constat.

(3) Sen. De Ira Lib. II. Cap. XXX.

& fortunæ. Idem alibi (1): *agebant gratias, & quorum liberi occisi, & quorum bona ablata erant*. Apud Plinium vero extat Senatusconsultum hujusmodi (2): *voluntati Principis sui, cui in nulla re fas putaret repugnare, in hac quoque re obsecutum fuisse Pallantem*. Apud Thuanum tandem Renandius ita loquitur (3): *Regibus parere, etiam iniqua imperantibus, vox Dei jubet, eosque, qui potestatibus a Deo constitutis minime obediunt, Dei voluntati resistere, extra dubium est*. Neque ob aliam rationem principalibus cautum fuit constitutionibus (4), sacrilegum esse, qui de principali judicio disputaverit. Unde etiam veteri Romano jure obtinuerat, ut res judicata pro veritate haberetur; & cum Prætor, cognita caussa, per errorem, vel etiam ambitiose juberet, hereditatem, ut ex fideicommisso, restitui, etiam publice interesse censeretur restitui, propter rerum judicatarum auctoritatem (5).

 Cui

(1) Idem de Tranquill. Cap. XIV.
(2) Plin. Lib. VIII. Ep. VI.
(3) Thuan. Lib. XXIV. conf. Amm., Marcel. Lib. XX. Cap. V.
(4) L. 3. C. De Crim. Sacrileg.
(5) L. 65. §. 2. ff. ad Sc. Trebell.

Cui Mæciani sententiæ apposite addi etiam potest celeberrima illa Ulpiani (1) lex, cui est initium, *Barbarius Philippus*.

§. IV. Sequitur hinc, omnes olim peræque Gentes censuisse, Civibus non licere Principi obsistere etiam injuste agenti: quippe & dum ita agit, summum ei rerum arbitrium Deus tribuit, obsequii tantummodo gloria subditis relicta (2). Quod ita quidem intelligendum puto, ut a civibus jus sit omnino servandum, non resistendi necessitas, ac si resistant, sine dubio contra Dei voluntatem peccent: a Regibus autem minime jus

(1) L. 3. ff. De offic. Prætor.

(2) Itaque videmus, quod licet aliquando Reges si quid delinquerent, apud nonnullas Gentes suorum facinorum pœnas luerint, eædem tamen ausæ non sunt Regibus suis manus inferre impias violentasque. Testatur sane Plinius Lib. VI. Hist. Nat. §. 24. v. 10. ex edit. Hard. Tom. I. in fol. pag. 324. *Incolas Taprobranenses, Regem, si quid delinquat, morte mulctari, nullo interimente, aversantibus cunctis & commercia etiam sermonis negantibus*. Cæterum clarissime Dupinus ostendit, quod Reges, si quid peccent, a nemine præter Deum temporali pœna plecti possunt. Leg. Dup. Diss. *De Antiq. Eccles. Discipl.* VII. Cap. II. §. 2. & eumdem *Dans Traitè de la Puissance Eccles. & Temporel. Art. II. Sec. Preuve* Pag. 92.

jus est pro lubidine Civium bonis abuti, ipsisque civibus injurias inferre manifestas. Quod si faciant, Deum vindicem fore aliquando: impune autem facturos certum est ratione Populi, qui cum minime sit Principis βελτίων, ipsis resistere nequit. Omnia itaque veterum Scriptorum, quæ attulimus, testimonia, de Regum more ac facti impunitate, non autem juris, intelligenda arbitror; quemadmodum intelligenda etiam Memmii Tribuni Plebis verba apud (1) Sallustium; *impune quidvis facere, id est Regem esse*, bene censet clariss. Barbeyracius (2). Neque secus intelligenda est Ulpiani lex (3), qua sapientissimus hicce Jurisconsultus, Principem legibus solutum pronuntiat: quatenus nempe deficiat vis coactiva, quæ Principem legibus compescat. Quamobrem recte etiam doctissimus P. De Marca (4) lege Julia Majestatis eum teneri de-

(1) Sallust. De Bell. Jugurth. Cap. XXXI. in fin.

(2) Barbeyr. ad Grot. Lib. I. C. IV. n. 2.

(3) L. 31. ff. De Leg.

(4) P. De Marca De Conc. Sac. & Imp. Lib. I. Cap X. Quamvis autem civilibus legibus solutos se Principes intellexerint, Imperii tamen dignum

decernit, qui Principem legibus facit obnoxium, eo sensu, ut si in leges impingat, pœnis legum queat coerceri: cum alioquin ex Æschyli sententia, quam alibi retulimus,

„ Rex est suo utens jure, nulli
„ obnoxius.

Quî enim aliter illius dignitas sive Majestas constabit, qui summo fungitur imperio, nisi omnibus soluta legibus, libera quoque sit promiscua a subditis resistendi licentia? Hinc apud Aristotelem extat, quod ει αρχλω εχων επαταζεν, ϰ δει αντιπληγηναι, *si Principatum* (alii *Magistratum*) *gerens, aliquem verberavit, reverberandus non est* (1). Quare jure civili apud Romanos re-

gnum Majestate putarunt, legibus vivere. Quod Divi Severus & Antoninus sæpe rescripserunt. Quare Paulus L. 23. D. De Leg. 3. *decet tantæ Majestati, eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur*. Ipse autem Imperator Alexander L. 3. C. De Testam. rescripsit; *nihil tam proprium imperii esse, quam legibus vivere*. Scite Paterculus: *Princeps imperio maximus, major est exemplo.* Conf. Senec. Lib. Lib. I. de Clem. Cap. I.

(1) Aristot. Ethic. ad Nicom. C. 8.

receptum, quod si miles (1) Centurioni se castigare volenti restiterit; si vitem (idest baculum, uti Gronovius censet, quo Centuriones uti in signum dignitatis solebant) tenuit, militiam mutat; si ex industria fregit; vel manum Centurioni intulit, capite punitur. Ubi male satis Pererius (2) putat, resistere posse militem, si Tribunus atrocius castiget: quævis enim atrocitas militi, qui obnoxius est, jus nequit tribuere, quô Centurioni jure resistat. Adscita enim hac licentia, jam amplius militum disciplina non constat.

§. V. Quo posito temperamento de Regum jure ac de non resistendi necessitate ratione Populi, facilius Lex Hebræa intelligetur, quæ nostræ confirmandæ sententiæ videtur apposite facta. Verum enim vero ex Reg. Lib. I. apparet, quod magno animorum motu Hebræos Regem petentes Samuel hisce verbis (3) alloquitur. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet & ponet*

(1) L. 13. §. 4. ff. De Re Milit.
(2) Tit. C. De Re Milit. n. 36. arg. L. 5. C. De Jure Fisci.
(3) Reg. I. Cap. VIII. V. XI.

net in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum. Et constituet sibi Tribunos & Centuriones & aratores agrorum suorum & messores segetum & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias & pacificas. Agros quoque vestros & vineas & oliveta optima tollet & dabit servis suis. Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros, ancillas & juvenes optimos & asinos auferet & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi: & clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vos, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem. Noluit autem Populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt. Nequaquam: Rex enim erit super nos. Et erimus nos quoque sicut omnes Gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos & pugnabit bella nostra pro nobis .... Dixit autem Dominus ad Samuelem: audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Ex omni autem veteri Jure Sacro vix novi quidquam validius aut luculentius argumen-

mentum ad fanciendam non refiftendi obligationem illam, quam pofui; quæ id propterea inter Regis jura hoc loco ftatuitur. Et re quidem vera ex hoc loco patet, quod fi Rex fumma abutatur poteftate, fubditifque agros per fummam injuriam, vineas & oliveta abftulerit optima, tamen jure faciet; quatenus nempe hoc Regis factum, aliquem juris effectum contineat, ideft patiendi neceffitatem ex parte Populi, five non refiftendi obligationem. Quamobrem in compertis eft apud doctores (1) homines, Samuelem hîc haud loqui de jure vero, (quafi Regis apud Hebræos fuerit, fubditos opprimere, eofque omnibus fortunis evertere), quod longe aliud fuiffe conftat (2) aliunde; neque nudum hic Regum indigitari factum. *Hebræa vox*, inquit Calmet, *fonans jus vel judicium, fignificat etiam morem, ufum, confuetudinem. Juxta hunc fenfum, Jus Regium illud dicitur, quod fibi permiffum Rex arbitraturus effet, quodque facturus foret*

(1) Vid. Calmet ad h. L. Com. Litt. in Lib. I. Reg. Cap. 8. 2. 11. & Grot. Lib. I. Cap. IV. §. III.

(2) Deut. XVII. 14. & feq.

foret impune. Quare clarissimus Claud. Salmasius etiam scribit (1), *non de facto nudo, ut quibusdam placet, jus illud accipiendum*.

§. VI. Præsto autem est ratio, qua factum est, ut jus illud apud Hebræos obtineret, quod modo adducto Samuelis loco, exposuimus. Itaque nemo dubitat, Hebræos reliquarum Gentium Orientalium morem, administrationis Judicum pertæsos, adoptasse: apud Gentes autem Orientis, ut tum res erant, subditi erant vere servi, quibus non licebat resistere Dominis; quippe ratione Principis haud longe a Romanorum Servis distabant, apud quos servi erant απρωτοπο, videlicet sine persona. Quamobrem non erant possidendo, cum essent res, ac non secus ac reliqui animantes, alienationi ac commercio, *generatim* erant obnoxii. Apud Orientales vero Principibus suis ita Populi fuerunt obnoxii, tamquam heris mancipia. Ita primum apud Ægyptios obtinuisse ex Genesi (2) patet: De Persis autem

(1) Cl. Salmas. Cap. II. Defens. Reg. pag. 24.
(2) Gen. 47.

autem testatur Herodotus (1), cum Cambyses Rex *Satrapas* consuluisset, utrum sororem suam uxorem recte duceret, illos respondisse; nullam se quidem legem nosse incesta illa connubia permittentem, unam tamen sibi præsto esse, quæ Persarum Regibus liberam daret facultatem, omnia gerendi pro arbitrio. Hinc apud easdem Gentes, viri quique Principes, Regis servos se appellabant, nec meliorem, quam servorum subibant conditionem. Quare Aristoteles (2) scribit, quod Στρατηγοὶ καὶ Σατράπαι δοῦλοι τοῦ μεγάλου Βασιλέως: *Satrapæ toti Imperio præfecti*, ipsique Regis fratres, *servi magni Regis* appellabantur. Licet autem inter Orientales, nulla Gens præter Hebræam, liberior fuerit; quam tamen subjectionem Regibus suis præstitit, eam vero *servitutis* nomine indigitat scriptura. *Numquid non vos servi Saul?* Goliath Israelitas objurgat (3). Item Syriam, Moabitidem, & Idumæam Davidi legimus (4) serviisse.

Ne

(1) Herod. Lib. III. Cap. XXXI.
(2) Arist. De Mundo.
(3) I. Reg. XVII. 8. 9.
(4) Lib. II. Reg. VIII. 6. & 2. & 4.

Ne itaque mirum cui sit, cur ex veteri jure Sacro, non licuerit Populo Regibus resistere, quibus non secus ac reliquæ gentes, Judæa quoque gens serviebat. Ex sublimiori namque consilio Deus voluit, ut adscito ab Hebræis regio Imperio, undequaque Regia defenderetur Majestas; ne alioquin Sacram eorum personam Populus quovis obtentu impeteret quam stolidissime. Hujusmodi autem Regum facinora, quibus Populi rebus personisque, Reges impune abutuntur, vindicanda sibi Deus reliquit, quippe quæ honestate ac justitia destituantur. Apposite Augustinus apud Gratianum (1). *Secundum catholicam fidem, & sanam doctrinam, & intelligentibus perspicuam veritatem, nec naturæ Dei nocere potest quisquam, nec natura Dei nocere injuste cuiquam, vel nocere injuste* (scilicet impune) *patitur quemquam*. Ceterum gravis isthæc inter eruditos lis de genuino expositi Samuelis Textus sensu, licet sub judicibus diutius perennaverit, non video tamen, quî tandem

(1) Grat. Cauf. XI. q. III. Can. 47.

dem alia finiri via possit (1). Alioquin *absolute* alibi Deus jusserat, mortis supplicio damnari eos, qui aut Summo Pontifici, aut ei, qui extra ordinem Populi Rector constituebatur, uti Grotius (2) putat; aut consistorii seu consessus magni Judicibus, resisterent, uti censet Seldenus (3).

§. VII. Ad Jus quoque Sacrum vetus de non resistendo Principibus referam, quæ alibi de Regum persona leguntur, habita sarcta tecta, ex vi mandatorum divinorum, etiam cum in certissimo ac gravissimo vitæ discrimine versarentur (4), qui

(1) Vid. apud Tesmarum doctiorum opiniones de hocce Samuelis Textu. Tesm. ad Grot. Lib. I. Cap. IV. §. III. edit. in fol. MDCXLVI. Francf. ad Mœnum.

(2) Grot. Lib. I. cap. IV. §. III, n. 1.

(3) Selden. in Prolegom. *De Uxore Hebr.*

(4) Non levis quibusdam se offert dubitatio, an lex de non resistendo, subditos in gravissimo etiam ac certissimo obliget discrimine? Quæ dubitatio inde ortum trahere videtur, quod leges omnes etiam divinæ, quæ sunt generaliter prolatæ, tacitam habent summæ necessitatis exceptionem. Quam sententiam probari etiam video doctissimo Heinec. Lib. I. de I. N. & G. Cap. VI. in not. ad §. 159. Itaque, licet absolute Deus sanxerit, a Judæis Sabbathum coli debere; Hasamonæorum tamen temporibus a sapientibus definitum, summæ aliquando necessitatis speciem excipiendam. Quare cui non di-

qui eorum Personam reveriti, manus Regibus violentas inferre dubitarunt. Profecto David in hujusmodi constitutus periculo, Saulis personæ pepercit (1), non ex sublimiori quidem consilio, uti cum multis Barbeyracius (2) putat; at ex officii, quod dictum; *periculum animæ impellit Sabbathum?* Sive, ut Casaubonus Exercitat. I. ad Baron. 12. 17. p 66. vertit, *solvit necessitatem servandi Sabbathi?* Unde Judæus ille apud Synesium neglectæ legis de Sabbatho caussam hanc reddit Maccabæor. Lib I. C. 9 1043. & 44.): σαφως ὑπερ ψυχης δεομεν, *in certissimum vitæ periculum adducti sumus*. Hanc exceptionem ipse Christus probavit Matth. XII. 4. ubi rotunde affirmat, Sabbatum propter hominem, non hominem propter Sabbathum fuisse factum: quæ exceptio recepta etiam fuit in interpetranda lege de non edendis panibus propositionis, uti constat ex I. Sam. XXIII. *6.* Quæ exceptio non ea ratione obtinuit, quod Deo Jus fortasse non sit ad certam mortem nos obstringere; at potius quod illud est nonnullarum legum ingenium, ut credi vix possit, ex tam rigida latas voluntate. Utcumque autem ista sese habeant, verum tamen est, leges naturæ, aut divinas, nullibi casum necessitatis excipere; neque umquam fieri potest, ut necessitas jus alicui contra naturæ leges impertiatur: quod Henricus Coccei ad Grotium contendit. Ex Jure autem naturæ est, ut Jus necessariæ etiam defensionis numquam competat subditis, sive singulis, sive pluribus; quod antea demonstratum clarius.

(1) Lib I. Reg. Cap. XXIV. v. 10. 11.

(2) In not. Gallicis ad Lib. I. De I. B. & P. C. IV. §. VII. n. 6.

quod affero, neceffitate. Ipfe porro David apertis inquit (1) verbis, infontem neminem futurum, qui manus Regi intulerit. Ubi obfervare non gravor, quod licet David, Rex jam a Deo declaratus fuiffet, adeoque Sauli jam foret æqualis, veritus tamen eft, Sauli manus inferre violentas: quanto igitur minus privato homini id licebit? David vero pulchre norat, quod in Lege Veteri fcriptum erat: *Diis* nempe (2) *non maledices & principi in populo tuo non maledices*. Quare Optatus Milevitanus hæc Davidi verba (3) tribuit: *Volebam hoftem vincere, fed prius eft divina præcepta fervare*: Jofephus autem de Davide (4) fcripfit: *Sed ftatim pœnitentia ductus injuftum facinus effe dixit*, Φονευειν τον εαυτȣ δεσποτην, *dominum fuum occidere*, ȣδε τον υπο τȣ θεȣ Βασιλειας αξιωθεντα, *eumque qui a Deo Rex conftitutus eft*. Hinc legitur (5), Davidem pœnitentia etiam tactum, quod Saulis

 ve-

(1) Lib. I. Reg. Cap. XXVI. v. 9.
(2) Exod. XXII. v. 28.
(3) Lib. II.
(4) Joseph. Lib. VI. Cap. XIII. §. 4.
(5) Lib. I. Reg. Cap. XXIV. v. 6.

vestem conscidisset. Hæc autem, quam assero ex Jure veteri, non resistendi necessitas, non tantum Regum Personas ab omni liberavit impetu, verum etiam omni exemit calumniarum periculo. Itaque non manu tantum, at ne voce quidem Regum personas lædendas, Veteres existimarunt. Hinc vetus illud; *Diis non maledices*: cui congruit Problematum scriptor, quæ Aristoteli vulgo tribuuntur: κακηγορων τ̈ αρχοντα, εις την πολιν υβριζει, *qui Principi maledicit, in Civitatem est injurius*. Quamobrem Romanis legibus etiam cautum, ut Tribuni Plebis ασυλοι, idest inviolabiles sanctique essent, & apud Essenos, Reges pro sanctis habiti. Unde apud Homerum non immerito Heros ille (1).

. . . . Περι γαρ διε ποιμενι λαων
Μη τι παθη.
Pro populi pastore timebat,
Ne quid pateretur.

§. VIII. De Jure quidem veteri Sacro

(1) Iliad. V. v. 566. & seq.

cro hactenus: ad novum modo deveniam, quod veteri profecto clarius est ac perfectius. Primum autem sistam hic Petri Apostolorum & Ecclesiæ Principis sententiam nobiliorem, quæ ita se habet (1). *Regem honorate: servi, subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam duris. Hoc enim cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestiam injuste afflictus. Quæ enim gloria est si peccantes & colaphis cæsi subsistitis. Sed si bene agentes, & tamen male habiti, subsistitis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum*. Cujus præcepti memoriam, quam vellem, subditi quotidie recolerent! Opportune autem hic adnotandum est, ad subiectionem perfectam subditos Apostolum adhortari, etiamsi eorum domini iniqui sint ac duriusculi. Quod confirmat auctor constitutionum, quæ vulgo Clementi tribuuntur, cujus hæc sunt verba: *Servus Deum timens, simul bene hero suo velit*, κἂν ἀσεβὴς, κἂν πονηρὸς ὑπάρχῃ, *quamvis impius quamvis injustus existat* (2). Duas hujusce

 præ-

(1) Epist. I. C. II. v. 17. 18.
(2) Lib. IV. Cap. XII.

præcepti rationes Petrus reddit. Primam, propter *Dei conscientiam*; quatenus nempe subditorum quisque, licet male habitus, heris ac Principibus suis minime debeat resistere, ob eam fiduciam, quam in Deo collocare debet, ipsum videlicet aliquando fore injuriarum vindicem, qui justus est, quique neminem insontem lædi sinit a quoquam impune: quippe pollicitus; *mihi vindictam, ego rependam*. Quæ ratio mirifice nostræ quadrat sententiæ. Altera vero ex merito petita est, quod sane illustrius evadit, si afflictis rebus, subditi tamen haud norint Principibus obsistere propter voluntatem Dei, cujus ordinatio est, ut alibi vidimus, omnis potestas, quæ homines resque humanas moderatur. Neque illud prætereundum quod idem Apostolus subditos adhortatur, ut ne Reges solum suspiciant honorentque cum timore, verum etiam, ut si quando eos affligent immerito, nullam tamen sibi resistendi fafacultatem permittant, at æquo potius animo injurias ferant. Cui Petri præcepto mire congruunt profani etiam scriptores. *Ferenda Regum ingenia*, inquit

Ta-

Tacitus (1): idemque alibi: *Bonos Imperatores voto expetendos, qualescumque tolerandos* (2). Antea Livius: *Ut parentum sævitiam, sic Patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse* (3).

§. IX. Principes autem procul dubio sunt rei tutores publicæ, civiumque singulorum parentes. Quamobrem sicuti ipsa suadente natura receptum est, ut Patris imperia quisque vereatur; Paterque amandus *si æquus est, si non, ferendus*, ut P. Syrus (4) inquit: ita non secus ferendi Reges si fortasse fuerint iniqui. Apposite de Lysimaco Justinus (5): *Magno animo Regis, veluti parentis, contumeliam tulit*. Quo vergunt etiam Demosthenis verba (6): *Quisquis ad Remp. accesserit, modo bonus civis esse velit, eum sic erga omnes cives affectum esse decere, ut liberos erga parentes; ut eos quidem quam æquissimos experiri optet, sed qualescumque fuerint, ferat æque animo*. De paren-

(1) Lib. XII. Annal. Cap. II.
(2) Histor. IV. C. VIII.
(3) Liv. lib. XXVII. Cap. XXXIV.
(4) P. Syr. v. 28.
(5) Just. Lib. XV. cap. III.
(6) Demosth. Ep. III. prop. fin.

parentibus autem Terentius noster (1),

„ Nam matris ferre injurias me,
Parmeno, pietas jubet.

Et alibi adolescens ille apud eumdem, ad rem uxoriam, a qua longe abhorrebat, Patris imperio adactus, postquam de patre multa imprudens effutiverat, se tandem Patri adversari non posse affirmat hisce verbis (2): *Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc, quæ meo cunque animo libitum est facere, eine ego ut advorser? hei mihi! incertum est quid agam.* Quamobrem Plato (3): *irascentibus parentibus æquum est liberos cedere*; & Cicero Oratione pro Cluentio Cap. VI. *non modo reicere homines parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre oportet*. Quare adolescens ille apud Ælianum (4), Zenonis auditor, rogatus ecquid didicisset, illud unum se didicisse asseruit, ὀργὴν πατρὸς φέρειν, iram patris ferre.

§. X.

(1) Terent. Hecyr. Sc. III. act. I. v. 21.
(2) Terent. And. Act. I. Sc. V.
(3) Plat. De Legib. IV. p. m. 717. Conf. Quintil. Declm. 17. & eumdem Declam. 310.
(4) Ælian. var. Hist. IX. 33.

§. X. Petro nunc vere comitem addamus Paulum, qui subditorum officia late describens: *Qui obsistit*, inquit, *potestati*, *Dei ordinationi obsistit*: *tum vero*, *qui obsistunt*, *sibi ipsis condemnationem accipient* (1). Mox addit insuper: *Dei enim minister est qui potestate fungitur tuo bono*. Deinde: *quapropter necesse est subiici*, *non solum propter iram*, *sed & propter conscientiam*. Perspicua sunt hæc Pauli verba, quô non resistendi ostendatur necessitas. Ait enim subditos minime posse aut debere Summis resistere Potestatibus, tum propter *condemnationem*, cum propter *conscientiam*: nempe tum ex formidine majoris mali, supplicii nimirum pœnæque præsentis, cum ex ipso intimo sensu officii nostri, quo Principibus parere a Deo jubemur, iisque nos male habentibus modeste etiam auscultare, nec audacter resistere, violentasque inferre manus. Officium vero cum minime intelligatur, nisi existat Jus, cum quo comparetur hominis actio; hinc Paulus dixerat, officium illud manare ex ipsa ordinatio-

(1) Ad Rom. XIII, 2. & seq.

natione Dei, qui summam Potestatem Civilem jussit ob utilitatem communem, quæ licet aliquando cesset, in summa tamen perpetuo constat. Quare addit Principem esse Dei ministrum, qui potestate nostro fungitur bono. Repetam hic quod pluribus sum alibi prosecutus, Apostolum nempe Principem appellare Dei ministrum, non eo quidem sensu, quo Grotius (1) putat, nempe per *approbationem* dumtaxat subsequentem, at per antecedentem jussionem: Summa enim Potestas Dei *ordinatio* appellatur a Paulo, non *approbatio*. Et re quidem vera utitur Paulus voce τάττεσθαι, quæ ut græcæ Linguæ periti norunt, plus significat quam probare. Probamus enim quæ ab alio gesta & constituta, ordinamus vero quæ nullum præter nos auctorem habent, cujusque nos principium sumus. Ita quidem Princeps a Deo tamquam omnis ordinis principio pendet, opisque humana Summam tantum Potestatem fovet. At legenda sunt quæ superius hac de re.

§. XI. Jus tandem Ecclesiasticum resistendi

(1) Lib. I. Cap. IV. §. IV. n. 1.

ſtendi vetat licentiam Summis Poteſtatibus, ac generatim cavit, debere minores majoribus obedientiam præſtare, ut Dei voluntas ſervetur (1). Aliquando autem ac veluti perfunctorie, cavit etiam de neceſſitate, qua ſubditi tenentur, Principibus non reſiſtere. Ita clamat Auguſtinus apud Gratianum (2): *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, ubi, ut alibi dictum eſt, præceptorum *colliſionem* excipit, affirmatque ea tantum in ſpecie non teneri ſubditos Principibus obtemperare, ſi iſti jubeant, quod eſt contra Dei legem. Neque tamen hac etiam in ſpecie ipſis reſiſtendi licentiam permittit: ait enim pati eos debere potius intra carceres obtrudi necemque ſubire, quam peccare in eum, qui gehennam minatur. Quod repetit Auguſtinus idem alibi apud Gratianum tum diſt. 9. c. 1. cum cauſ. 11. q. 3. can. 98. quorum canonum liceat hic nonnullas exhibere lacinias. Ex canone 98. habetur: *Julianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit apoſtata, ini-*

(1) Grat. Diſt. XCIII.
(2) Cauſ. XI. Quæſt. III. c. 97.

iniquus, idololatra? Milites Christiani servierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad caussam Christi non agnoscebant nisi illum, qui in Cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam Gentem; statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum a Domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali (1). Quare mox (2) Isidorus apud eumdem: *Si is qui præest, prohibet vobis, quod a Domino præceptum est, vel rursus imperat fieri, quod Dominus prohibet, execrabilis sit omnibus, qui diligunt Deum*. At alteram Canonis I. Dist. IX. §. I. laciniam hic quoque inserendam censeo; quippe quæ ad rem meam magnopere facit. Ea vero est hujusmodi. *Quicumque ergo legibus Imperatorum, quæ pro rei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Quicumque vero legibus*

(1) Conf. Can. 92. & 94. Caus. XI. quæst. III. ubi Ambrosius eodem Juliani Imperatoris utitur exemplo.

(2) Caus. XI. Q. III. Can. 101. §. 1.

bus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium . . . . . Rex Nabucchodonosor, cum servus esset Idolorum, constituit sacrilegam legem ut simulachrum (1) *adoraretur : sed ejus impiæ constitutioni, qui obedire noluerunt, pie fideliterque fecerunt &c.* Ex quibus manifestum est, sublata tantum *collisionis* specie, teneri perpetuo subditos Principibus obtemperare: illa autem posita, iis subditi non parent, at neque inde resistendi sibi obtentum quærere possunt. Quod juvatur etiam Can. 18. Concilii Chalcedonensis & Can. 4. Concilii Trullani. Tum luce clarius Concilium Toletanum IV. C. 75. cavit, dira verborum imprecatione æternis suppliciis condemnandum, quicunque in Principem infidelis extiterit, quod Concilio postea Toletano V. magis cautum (2).

§. XII. Jus porro Canonicum non *absolu-*

(1) Daniel. 3.

(2) Jampridem vero can. Apostol. 83. *Quisquis Imperatorem aut Magistratum contumelia affecerit, supplicium luito ; & quidem si Clericus, deponitor ; si Laicus a communione removetor.*

solute tantum vetat resistendi licentiam; verum etiam jubet subditos, licet injuste a Principibus tractentur, numquam tamen iis resistere, at Christi potius exemplo, quod urget (1) Petrus, sese ad patientiam componere. Quare Cyprianus apud Gratianum (2) inquit: *Dominus noster ipse Jesus Christus Rex & Judex & Deus noster usque ad passionis diem servavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent . . . quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum*. Unde Gregorius I. apud eumdem (3) Jo: Episcopo Ravennati in memoriam revocat, morem ecclesiasticum esse, modeste ac patienter ferre injustam etiam *correptionem*. Idemque alibi apud Gratianum (4): *Sententia Pastoris*, sive *justa fuerit*, *sive injusta*, *timenda est*. Urbanus autem I. ibidem (5): *Valde est timenda sententia Epi-*

(1) Petr. Ep. I. C. II. v. 17. & 18.
(2) Dist. XCIII. Can. 25.
(3) Dist. C. Can. 8.
(4) Caus. XI. q. III. Can. I.
(5) Caus. XI. q. III. Can. 27.

Episcopi, licet injuste liget. Qui quidem Canones licet de Ecclesiæ Pastorum sententiis caveant; cum Princeps tamen Pastor etiam sit ac Episcopus in iis, quae extra Ecclesiam sunt, & ad Civitatem spectant, valent quoque de non resistendi necessitate, quæ subditos obliget non minus, quam Clericos, quos spectant canones superius adducti. Quo pulchre autem intelligatur, quam bene Ecclesiæ Pastores cum Principibus comparentur, Constantini Imperatoris ad Patres Nicænos nobile effatum hic appingam (1): *Vos in iis, quæ intra Ecclesiam; ego in iis, quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus*. Quare Imperatori etiam Marciano acclamatum est a Patribus Concilii Chalcedonensis sect. 6. τῳ ιερει, τῳ βασιλει, *Sacerdoti, Imperatori*. Omnis deinde profitetur antiquitas, Principes nihil esse præterea, quam Populorum Pastores, λαων ποιμενες, uti plerumque eos appellat Homerus. Itaque Xenophon inter

(1) Euseb. in vita Constant. Lib. IV. Cap. XXIV. Conf. Petr. De Marca De Conc. Sac. & Imp. Lib. II. Cap. X. §. VII. ibique Fimianum.

ter alia Cyri effata etiam illud meminit memorabile, quo (1) *similia perhibuerit esse boni Pastoris, & boni Regis opera*; ως λεγοι παραπλησια εργα ειναι νομεως αγαθȣ κ̀ βασιλεως αγαθȣ. Ipse olim Deus (2) Davidem jussit Populum *pascere*. At ex Jure Canonico hac de re satis. Consuetudinem modo Christianorum veterum, quæ ad Jus quoque Ecclesiasticum *non scriptum* pertinet, paullo attentius inspiciamus. Demum & nonnulla ex Jure subnectemus Civili, quæ opportunissima fortasse Lectoribus videri queant.

§. XIII. Veterum Christianorum consuetudinem jam inde a rei christianæ primordiis auspicabor; quibus fiebat, ut persæpe omnium pessimis Imperium Romanum tenentibus, numquam tamen recentiores Christiani una cum reliquis, qui Reip. caussa illis sese omni conatu opposuerunt, resisterent. Contra hæc perpetuo in iis, quæ ad Reip. salutem pertinebant morem illis gessere: quippe scie-

(1) Xenoph. Cyrop. Lib. VIII. Pag. 450. edit. Londini in 8.

(2) Lib. II. Reg. Cap. V. v. 2.

ſciebant, quod bene Auguſtinus inquit, *ſe ſubditos eſſe propter Dominum æternum domino etiam temporali*. Quamobrem ex Tertulliano ad Scapulam patet, quod, cum in Septimium Severum Imperatorem valde ſanguinarium, arma in Syria Peſcennius Niger, in Gallia vero & Britannia Clodius Albinus, inſuper in M. Antoninum Avidius Caſſius, ſumpſiſſent: noluerunt tamen Chriſtiani eorum ſe conatibus adjungere, iiſque amice conjurare, qui ſumptis armis, Remp. reſtituturos jactabant. *Circa Imperatoris majeſtatem infamamur*, Tertullianus inquit; *tamen nunquam Albiniani vel Nigriani vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani*. Quæ conſuetudo ex nullo præterea Chriſtianorum facto conſtabit magis, quam ex Legionis Thebaeæ facinore omnium maxime memorabili, quæ, ut patet ex Actis, milites complectebatur ſexies mille ſexcentum ſexagenta ſex, Chriſtianos omnes. Hi autem univerſi, qui penes ſe armorum vim tenebant, compellenti Maximiano Cœſari exercitum, ut Diis ſacra faceret, obtemperare primum noluerunt, aliò arripientes iter: volentes deinde lubenteſque (tantum abeſt ut repugnarint)

O paſſi

passi sunt, decimum quemque potius apparitoribus interfici, uti jusserat Imperator, quam sacra Diis Idolisque facere. Valens quoque Imperator crudeliter nimium impieque sæviit adversus eos, qui contra Arianorum sententiam Filium Patri ὁμοούσιον professi erant, Catholicis Nicænis consentientes: nemo tamen ullus, licet plurimi fuerint, armis semetipsum adversus Imperatoriam sævitiam tueri cogitavit; at Christi exemplo, eô usque patientiam porrexit, ut crudelitati æquo animo cederet. Quod quidem minime factum est, ut nonnulli putant, ex virium defectu: apertis namque verbis idem Tertullianus (1) prædicat: *Cui bello non idonei, non prompti fuissemus etiam copiis impares, qui tam lubenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?* Quod repetit etiam Cyprianus (2) ad Demetrianum; egregieque Cyrillus Johannis locum de Petri gladio, in eamdem exponit sententiam (3).

§. XIV.

(1) Tertul. Apolog. Cap. XXXVII.
(2) Pag. 192. edit. Fell.
(3) Constat hinc, quod pluribus ostendit Dupinus,

§. XIV. Cui confirmandæ magis veteri Christianorum consuetudini, quam tantopere laudo, afferam hic quoque Nanzianzeni testimonium, quo clarissime ostenditur, Christianos, quos omnis ferme Imperatoris Juliani exercitus complectebatur, unis lacrymis pessimum defectorem repressisse. Namque *solum hoc*, Nanzianzenus (1) ait, *contra persequutorem erat remedium*, τουτο μονον εχοντων κατα διωκτυ φαρμακον. Itaque Ambrosius hujusmodi veterum facta imitatus, ipsiusque Christi æmulatus exemplum, noluit, cum tamen posset, Maximi copiis abuti adversus Valentinianum Juniorem Imperatorem, jam tandem Arianum, Ecclesiæque hostem infensissimum. Idemque, qui subditorum officia bene callebat, Mediolanensis Populi satis jam satis concitati motu impetuque adversus eumdem noluit abuti: qui-

O 2 nimmo,

nus, non licere Christianis, neque etiam sub Religionis obtentu, vi armisque, Regibus, si sua potestate abutantur, resistere. Conf. Dupin. Dissert. VII. Cap. II. §. 3. & *le Traitè de la Puissance &c* Art. II. *Treisieme Preuve* Pag. 101. *&* *quatr.eme Breuve* pag. 122. edit. in 8.

(1) Nanz. Orat. I. in Julian. Pag. 94. A.

nimmo, *coactus*, inquiebat, *repugnare non novi* (1): *dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites Gothos quoque, lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim sunt munimenta sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere*. Quare apud Gratiannm paulo ante eodem loco, & Ep. 33. ad Marcellinam sororem: *si patrimonium petitur invadite; si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi non ego me vallabo circumfusione Populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor*. Quæ veterum Ecclesiæ Patrum effata, qui Christo & Apostolis virisque Apostolicis proximiores, eorum præscripta & intelligebant melius & perfectius implebant, luce clarius testantur propositum meum.

§. XV: Jus tandem Civile, huic de non resistendo Principibus sententiæ, veniat suppetias. Constat primum, ex l. 12. C. De Leg., Imperatoria Majestate nihil præterea inter mortales sanctius esse, neque

(1) Ambros. Orat. contra Auxentium Conf. Grat. Caus. XXIII. q. VIII. c. 21.

que venerabilius: quippe quæ Deorum in Terris imaginem præseferat (1). Quamobrem eodem jure cautum est, proximum (2) sacrilegio esse censendum læsæ Majestatis crimen. Hinc apud Romanos florente Republica, ad præscriptum XII. Tabularum, vel Legis Corneliæ de injuriis, maledicta in Magistratum jaculata, vindicabantur. Unius postea Imperio obfirmato, læsæ Majestatis crimine tenebantur, quicunque dixissent scripsissentque, quod infamiam Imperatori crearet aut flagitium. *Crimen*, Paulus inquit (3), *Majestatis non solum facto, sed verbis impiis & maledictis maxime exacerbatur*. Quare Arnobius: *Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris Regibus secus obmurmuraverint* (4). Quæ licet scripta sint generatim, ita tamen accipienda sunt, ut nemini, Summæ Potestati resistere, liceat, neque verbis neque factis, quamvis Summa Potestate sua, Majestas abutatur. Alioquin opus haud

 erat

(1) Sen. De Clem. Lib. I. Cap. I. *Ego ex omnibus mortalibus*, inquit Nero, *placui electusque sum, qui in Terris Deorum vice fungerer*.

(2) L. I. ff. ad Jul. Majest.

(3) Paul. Lib. 5. sentent. tit. 29. ad L. Jul. Majest.

(4) Arnob. Lib. IV. adv. Gent.

erat hujusmodi legibus : quippe certum est, non licere neque in privatum quemque maledicta gratis evomere, tantum abest, ut fieri illud possit in Principem. Quamobrem Charondas (1) apud Tullium non jussit solum, subditos Magistratibus obtemperare ; verum etiam præscripsit, ut eos diligerent colerentque. Cultus autem perfectus in eo profecto positus est, ut sive Magistratus bene, sive male agant, subditi tamen debito eos prosequi teneantur obsequio, eosque nedum amare, sed timere. Unde Zaleucus Locrensium legislator nominatissimus; αιδεισθαι χρη τους αρχοντας.

§. XVI. Accedit præterea ad nostram tutandam sententiam, Jus Wisigothicum ac Langobardicum, quod æque ac Jus Romanorum, Principum cavit securitati. Lippis ac tonsoribus nota est Lex Wisigothica de non criminando Principe, nec maledicendo illi, quæ sic se habet : *sicut (2) in persona Principis omnibus prohibi-*

(1) Cic. De Leg. Lib. III. Cap. II.

(2) L. VIII. Tit. I. Lib. II. Leg. Commentariolum ad h. L. clarissimi Fr. Lindebrogii in Ottonis Thesaur. Jur. Civ. Tom. IV.

bibemus aut commovere nequitiam cogitationis aut manus iniicere ultionis, ita etiam nullum patimur in eum, aut notam ponere criminis, aut verba congerere maledictionis. Ex quibus verbis facile infertur, adeo fuisse Wisigothis Personam Principis sanctam, ut non solum nefas putarint, criminis notam Principi inurere, eumque maledictis lacessere; verum etiam ne de Principe quidem nequiter cogitare, cum tamen cogitationis pœnam in foro externo nemo patiatur. Verba autem illa, aut *notam ponere criminis*, clare ostendunt, nemini apud Gothos licuisse Principem criminari, si male ei agere videretur, adeoque multo minus ipsi resistere. Congruit Wisigothorum Juri Lex etiam Langobardica, quæ est hujusmodi (1): *Si quis contra animam Regis* (Rotaris Rex sanxit) *cogitaverit, aut consiliatus fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & res ejus infiscentur*. Neque longius hinc abit Cicero pro Rege Dejota-

(1) Leg. Lang. Lib. I. Tit. I. L. I. Leg. Ludov. Muratorium Rer. Italic. Scriptor. Tom. I. in fol. P. II.

jotaro. Quod si clarissimi Imperatores Theodosius, Arcadius & Honorius, celeberrima illa constitutione, quæ una extat in Codice, sub Titulo, *si quis Imperatori maledixerit*, noluerint eos, qui pudoris modestiæque nescii, improbo petulantique maledicto, nomina sua lacessierint, obtrectatoresque suorum temporum fuerint, pœnæ subjugari: illud quidem non ex eo utique processit, quod impune a quovis tantum facinus admitti posse censuerint, at ex consilio solito sublimiori. Quod alibi nostræ congruenter sententiæ exponemus (1).

§. XVII. Illud modo paucis perpendendum restat, utrum scilicet, Magistratibus saltem inferioribus fas umquam sit, eorum resistere injuriis, qui Summum Imperium tenent? Nam nisi privatis id liceat, quod ultro concedunt nonnulli; teneri tamen Magistratus, sunt qui putant, etiam sub peccati poena. In quo turpiter non minus, quam qui privatis resistendi licentiam sinunt, hallucinantur.

Age

(1) Leg. Commentariolum nostrum ad L. un. C. *si quis Imp. maledixerit*, in hujusce libelli calce.

Age autem amoliamur hanc quoque sententiam paucis. Perſpicuum eſt ex Petro (1) Apoſtolorum chorypheo, ſubjectos nos eſſe debere aliter Regi, aliter Magiſtratibus, Regi quidem, Ὡς ὑπερέχοντι *Supereminenti*, Magiſtratibus autem tamquam miſſis a Rege, Δἰ αὐτῦ πεμπομένοις, ſive tamquam ejus legatis, qui poteſtatem ſuam omnem a Rege derivant. Quamobrem & Magiſtratus Regi ſubditi ſunt non minus, quam privati, ac reſpectu Regis a privatis non abeunt longule. Unde Auguſtinus (2) ad Johan. de Pilato recte pronunciavit: *talem quippe Deus dederat illi poteſtatem, ut eſſet etiam ipſe ſub Cæſaris poteſtate*. Itaque Regi *abſolute* ab omnibus obtemperandum eſt, Magiſtratibus vero non niſi cum exceptione, nempe, niſi aliud juſſerit Imperator ut alibi idem inquiebat Auguſtinus. Præterea Paulus Apoſtolus (3) ubi ait Poteſtatem Summam a Deo eſſe, ibidem decer-

(1) Pet. Ep. I. 12. v. 13.
(2) Aug. ad Johan. Tom. IX. edit. Antuerp. pag. 369.
(3) Ad Rom. XIII. 1. & ſeq.

cernit, *omnem animam* Supremis Potestatibus subicii debere, adeoque ipsos etiam Magistratus inferiores. Demum numquam apud Hebræos, inferiores Magistratus, quorum plerique fortes fuere atque piissimi, Regibus suis apertam ullam vim opposuere. Ipsemet Samuel (1) coram proceribus & Populo, Saulem Summa jam Potestate abutentem, summa perpetuo veneratione est prosecutus: Quod Procerum præcipue ac Magistratuum inferiorum debitum officium est, Neque vero, si aliquando apud eosdem, inferiores Magistratus illud sibi juris usurparunt, ut Regibus resisterent, factum id est, sine Dei mandato *speciali*. Quamobrem apud scriptores etiam profanos, si quid adversus Reges aperta vi factum a populo aut Magistratibus fuisse, legitur; illud quidem non in humani facinoris approbationem, sed in divinæ Providentiæ id permittentis testimonium, narratur. Sicut ad divinam quoque Providentiam plerumque refertur; Reges a summo fortunæ apice in humilem conditionem dejectos. Ita

(1) Lib. I. Reg. C. XV. v. 30.

Ita Imperator Valentinianus post quindecim annos in tristem servitutem ac inhonoratam a Sapore Persarum Rege redactus; ac Cyrus ipse, (nisi falsum est, quod nonnulli posterorum memoriæ prodidere) qui per annos triginta Persarum Rex felicissimus extitit, quique longius super Scythas Imperium proferre jam cogitarat, a Fœmina tandem, Thamyri videlicet (proh dedecus !) subactus, detruncatur. Quæ nonnisi permittente Deo, qui Regna Regesque moderatur, facta fuisse recte Lipsius (1) affirmat.

§. XVIII. Quibus omnibus hactenus hinc inde perpensis, res modo postulat, ut longiusculam veluti navigationem emensus, me tandem in portum recipiam, atqui longiori huic præ cæteris capitulo finem faciam. Paucis itaque me sic colligam. Nefas omnino est ex Dei consilio, vel privatis, vel Populo, vel Magistratibus inferioribus, Principibus quoquo modo resistere : Summa namque Potestas [illegible] a Deo

(1) Lipsius in Monit. & Exempl. Politic. Monit. II. Tom. IV. Oper. in Fol. edit. Antuerp. 1637.

rio a Deo derivare, *ſecundario* autem a Populo. Quod repetere modo non gravor, ut magis mihimet conſtem, magiſque propoſita ſententia, quam pro virili aggreſſus ſum hocce tueri libello, conſtet lectoribus meis; quos quam vellem ſibi omnes in animum eamdem imbibere! Jam vero tempus eſt, ut reliqua pergam, quæ hunc abſolvant; meque alteri faciant libello, quem meditor, paratiorem.

C A P. XII.

Ex Superioribus Corollaria: quæ Principes ſubditis, ſubditos Principibus maxime devinciant. Ea vero clariſſimorum Auctorum ſententiis roborantur.

§. I. Quoniam virili hactenus animo præſentique adverſus Summorum Imperantium ſolito audaciores perduelles, cauſſam dixi, Summamque eorum Poteſtatem, Summam hactenus ſervavi, neque υπεύθυνην πολει (1) *Civitati obnoxiam*: operæ quoque pretium nunc

(1) Verba ſunt Æſchyli Perſis v. 213. p. 135. edit H. Sieph.

nunc omnium maximum facturum mihi esse videor, ne omni saltem fructu vacuus hicce mihi primus forte excidat libellus, nonnulla hic observatu dignissima lectoribus meis sistere, quæ ex superioribus pleno, uti ajunt, alveo, fluunt.

§. II. Primum itaque corollarium illud esto. Cum non sit Potestas nisi à Deo, Regesque Homero cæterisque omnium ætatum Gentiumque scriptoribus habiti sint Διογενεῖς & Διοτρεφεῖς, *Deo nati Deique alumni*; hinc cujuscumque Civitatis populares, Summum Principum suorum Imperium, veluti Dei ipsius institutionem quamdam, summa cum Religione venerentur, eique pareant obsequentissime obtemperentque in loco. Facit hic aureum illud Ciceronis carmen: *Justa Imperia sunto; iisque cives modeste ac sine recusatione parento* (1).

§. III. Esto alterum. Quoniam Principum Potestas, ex Dei ordinatione, Summa est, nempe hujusmodi, ut ejus actus alterius Juri non subsint (2); procul dubio falluntur, eorumque reiicienda opinio

(1) Cic. Lib. III. De Leg. §. III.
(2) Grot. Lib. I. Cap. III. §. VII. n. 1.

nio eſt, qui ubique & ſine ulla exceptione Summam Regiamque Poteſtatem Populo ſubiici putant. Falſos hinc animi ſe tandem agnoſcant. Deo igitur O. M. præſtantiſſimum illud Reges coercendi puniendique, ſi oporteat, arbitrium, permittant. Quare Populo non licet, uti nonnulli putant vecordes, etiamſi Reges Imperio ſuo abutantur, illos nec coërcere, nec ullo adfligere malo. Memorabile eſt hic inſigne illud M. Antonini Philoſophi dictum: *Nemo, niſi ſolus Deus, judex Principis eſſe poteſt* (1). Unuſquiſque autem Populus, dum res ita ferat, Regem ſuum eo affetur pacto, quo in Argiva Tragædia, Supplicibus, Fœminas illas peregrinas Regem allocutas, Aeſchylus teſtatur (2).

„ Συ τοι πολις συ δε το δημιον
„ Πρυτανις ακριτως ων
„ Κρατυνεις Βωμον εςιαν χθονος
„ Μονοψηφοισι νευμασι σεθεν.

„ Tu res Populi tuque Civitas
„ tota es,

„ Non

(1) Xiphilin. in ejus Vita pag. 271.
(2) Æſchyl. ſupplic. Pag. 320. edit. H. Steph. v. 375. & ſeq.

„ Non judiciis subditus ullis;
„ Regni solio fultus ut ara,
„ Unoque regens cuncta arbitrio.

Insignis est apud Gregorium Turonensem locus, ubi is Episcopus Francorum Regem hisce alloquitur verbis (1): *Si quis de nobis, o Rex, justitiæ tramites transcendere voluerit, a te corripi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronunciavit esse justitiam?* Vitigis quoque Rex apud Cassiodorum (2): *Caussa Regiæ potestatis supernis est applicanda judiciis, quandoquidem illa e cœlo petita est, & soli cœlo debet innocentiam.* Et apud eumdem Rex vere ait: *alteri subdi non possumus, quia judices non habemus.*

§. IV. Esto & tertium. Quoniam Summa Potestas a Deo est, diligat Principem Populus tamquam a Deo cœlitus missum, qui singulos sospitet, publicamque tranquillitatem procuret. Pius itaque adversus

(1) Lib. Histor. Cap. XIX. col. 223. edit. Ruinart.
(2) Cassiodor. Var. Lib. X. 31.

ſus Principem eſto; eumque non diligat modo, at venerabundus amet ſecundum Deum, veluti Dei imaginem, Patriæque Parentem. Appoſite Seneca (1): *Principes Regeſque & quicunque alio nomine ſunt tutores ſtatus publici, non eſt mirum amari ultra privatas etiam neceſſitudines. Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſunt, ſequitur, ut is quoque carior ſit, in quem ſe Reſpublica convertit.* Unuſquiſque autem e Populo, quo bene adverſus Principem debito reſpondeat obſequio, verſet quotidie animo ſecum Hebræorum illud: *Niſi Poteſtas publica eſſet, alter alterum vivum deglutiret.* Quare apud Chryſoſtomum legimus (2) iiſdem fere verbis: των πολεων τους αρχοντας αν ανελης, θεριων αλογων αλογωτερον βιωσομεθα βιον, δακνοντες αλληλους και κατεσθιοντες: *Niſi Civitatum rectores eſſent, feriorem feris viveremus vitam, non mordentes tantum, ſed & vorantes nos mutuo.*

P §. V.

(1) Senec. Lib. I. De Clem. Cap. IV.
(2) Chryſoſt. De Stat. Tom. VI. Pag. 502. Edit. Savil.

§. V. Quartum tandem illud ſit. Quoniam Reges a Deo Populis regundis adminiſtri conſtituuntur; nihil antiquius nihilque jucundius Principes habeant recta Populorum gubernatione, eorumque, quoad fieri potuerit, tranquillitate. Reminiſcantur perpetuo aureum dictum illud Chryſoſtomi, Principum animis alte inſcribendum, *homines*, quibus imperant, *eſſe Animal Deo cariſſimum* (1); neque *inhonoratam vilemque Dei poſſeſſionem*, ουκ ατιμον, ουδ' ευτελες του θεου κτημα, uti Simplicius, Platonis veſtigia ſecutus, eos (2) appellat. Quare ne uno quidem temporis articulo memoria excidat, ſummi Imperantis felicitatem numeris omnibus abſolutam haud eſſe, niſi etiam ſubditi felices ſint. *Sint*, *quibus imperes*, ajebat ille apud Plutarchum (3); & Cicero in reci-

(1) Chryſoſt. Serm. De Eleemoſyn. Tom. VI. pag. 927. ejuſd. edit.

(2) Simplic. Pag. 239. edit. Lugd. Batav. Salmaſii. Plato antea in Phæd. pag. 62. Tom. I. edit. H. Steph. homines eſſe ſcripſerat, εν των κτηματων τοις θεοις. Diſerte etiam Philo Judæus de ſomniis Pag. 581. edit. Pariſ. Ζωον το θεοφιλεστατον, hominem appellat.

(3) Sulla apud Plutarch. in ejus Vita Pag. 472.

recitato modo carmine , *justa imperia sunto*: inde enim fit, ut subditi, modeste ac sine recusatione pareant. Inscribat hæc Deus, qui solus hoc potest, eorum præsertim animo, quibus res Christiana commissa est; eisque mentem divini humanique intelligentem Juris, duit!

§. VI. Jam vero , si quando pravis abrepti affectibus , iisque transversum acti, rectam minime ineant viam, qua publicam felicitatem tranquillitatemque, Principes procurent ; pluribus superiori capite ostensum est, non licere subditis , Populo nimirum, aut Magistratibus, illis ullo pacto resistere . Nunc vero paucis inquam , illud inter minus frequentia habendum esse, quodque, ut bene Tacitus (1) ait, *meliorum interventu pensatur*. Deinde nec mihi tempero, iterum paucis asserere , nemini licere, iis resistere, qui Deum judicem habent . Itaque ea in specie luctuosissima , æquo animo incommoda toleranda, Deusque O. M. enixe exorandus, ut Principum mentem illustret , Populis præsertim Christianis , qui-

(1) Tacit. Histor. Lib. IV. Cap. LXXIV.

quibus Servator noster patientiam persæpe indixit, veluti maxime proprium æternæ tranquillitatis comparandæ viaticum.

CAP. XIII.

De Summæ Regiæque Potestatis origine, ac progressu, sive de Juribus Principis. Quorum divisio per summa Capita primi est hujusce libelli clausula, alteriusque proponitur veluti argumentum maxime proprium. Herodoti atque Thucididis de Summæ Potestatis Juribus sententiæ sugillantur. Dionysii Halicarnassensis ea de re, ac Aristotelis divisiones ostenduntur perfectiores. Omnium summam eam esse demonstratur, quam Grotius tradit. Eam vero Auctor sequitur, quam Puffendorfius ac Heinecius tradidere. Jura demum Principis omnia, Tabulis Decemviralibus conduntur.

§.I. QUemadmodum summa Principum Potestas ex Dei ordinatione ortum duxerit, satis explicatum arbitror superioribus: verum venio modo ad

ad id, quod superius etiam promisi, ac de Summæ Potestatis Civilis progressu, sive de Majestatis Juribus paullo altius repetito principio, nunc disseram. Summi itaque Imperii primordia hic tantisper commeditari in antecessum me juvat; ipsius porro progressum, sive Majestatis Jura pluribus ac perspicue congruenterque postea enarrare. Ipsa vero ordinis lex, nisi fallor, a me flagitat, ut propositum modo argumentum hoc capite pertractem. Quemadmodum enim de Summæ Regiæque Potestatis origine hactenus disputavi; ita nunc de Summæ Potestatis Juribus, res postulat, ut disquiram. Quæ quidem Jura cum sint Summæ Potestatis, ut cum Scholæ loquar Philosophis, *partes integrantes*; non immerito ab eodem genuino fonte derivabuntur, a quo Summam ipsam Potestatem derivandam contendimus. Verum, cum illa Majestatis Jura, de quibus infra differemus, non continuo sese cum ipsa Summa Potestate explicarint, at tractu temporis Civitates ipsas bene constitutas sint consecuta; lubet, inquam, super Summi Imperii origine prima, paucis in antecessum philosophari.

 §. II.

§. II. Nemo unus ſane dubitat, quin homines omni nexu ſoluti, vivere potius exleges adamarint, quam uni vel alteri, natura ſibi æqualibus parere, iiſque ſe, quanti quanti eſſent, mancipare. Pervidit rem iſtam, civilium rerum hominumque prudentiſſimus, Xenophon, qui in aureo Cyropediæ limine, (1) celeberrimi ſui Cyri Perſarum Principis, memoriam poſteritati commendaturus, poſtquam multa ſeſe de brutis animantibus hominibuſque animo verſaſſe teſtatur: ſtatuit tandem, ea eſſe hominem natura, ut facilius illi ſit, aliis omnibus animantibus, quam hominibus, imperare. Qui itaque factum jam tandem eſt, ut homines primævæ libertatis fere immemores, in Civitatem lubenter coiverint, ac unius vel plurium ſe Imperio reddiderint obnoxios? Id ſane factum ea ratione, qua ſuperius a nobis (2) dictum eſt pluribus; nunc vero paucis repetatur. Plebs nempe, hominumque multitudo primum diſ-

ſo-

(1) Xenoph. Cyrop. Lib. I. Pag. 1. 2. 3. 4. edit. Londini in 8. an. 1773.

(2) Conf. Cap. V.

ſociata, cui non erat conſilium, non ratio, non diſcrimen, non diligentia (1), ferarum vitam per luſtra horridaque latibula cum viveret; facile paſſa eſt in unum ſe congregari locum a præſtantiori aliquo feliciorique ingenii viro; qui, Deo volente propitioque propiuſque afflante, inter barbaram illam ferocioremque hominum gregem, floruit quam opportune. Neque enim cuivis demandanda illa erat tam difficilis in illo barbaro poſitu hominum gubernatio. Quamobrem quali quali Civili Societati inſtituendæ, ac inſtitutæ deinceps retinendæ, aliquo opus erat gubernatore prudentiſſimo, qui Societati illi, quam inſtituerat, ſapienter præeſſet, Socios Cives in officio contineret, degeneriſque naturæ vitioſos motus cohiberet, mores aliquando diſſolutos vi compeſceret, ne remotis frænis vaga facile natura proſiliret, ſtatimque αναρχια την αταξιαν pareret. Conveniunt itaque ſapientes, divinius quidpiam ac præſtantius eſſe debuiſſe, cui tantum a Deo mu-

(1) Conf. Cicer. Pro Planco.

munus crederetur. Id quod graviter Plato (1) contendit; docetque insuper, id propterea Deum humano olim generi nonnullos præstantiss mi animi singularisque virtutis viros, Heroas nempe, elargitum fuisse (2). Quæ licet vetustate nimia sint perobscura, veluti quæ magno ex intervallo loci cerni vix queant: ea tamen sic olim, temporibus nempe vetustioribus, accidisse, constans omnium scriptorum vox testatur.

§. III. Testatur apposite Imperator Julianus (3), Regem non facere, neque fecisse olim Imperii insignia: verum singularem virtutis præstantiam, quæ a Deo est. Dehinc ait: quamquam illorum erant nonnulli non obscuris parentibus orti, verum ob singularem præstantemque virtutem honore illos cultuque veteres divino prosequebantur, Deorumque esse filios existimabant. Quamobrem paullo superius idem ait Imperator, veteres in- [illegible] genii [illegible]

(1) Plat. Lib. IV. De Leg. Vid. ibi Serranum.
(2) Conf. Franc. Balduini. Icti Præfata De Jure Civili. Tom I. Jurisprudentiæ Rom. & Atticæ.
(3) Orat. II. Pag. 82. ex recens. Ezech. Spanhem.

genii quadam usos sollertia, Herculem Jovis filium prodidisse, necnon Ledæ liberos, atque Minoëm etiam ac Rhadamanthum Gnossium, τῆς αὐτῆς ἀξιῶσαι φήμης, eadem fama & gloria celebrasse. Quod si aliquando autem, ut apud Tacitum legitur (1), insignis nobilitas, aut magna Patrum merita, Principis dignationem adolescentulis pepererit: id ea ratione obtinuit, quam bene tradit Polybius (2); subditi nempe ea in specie persuasum habent: *talibus viris*, virtute nempe insignibus, *prognatos & a talibus educatos*, *animis quoque & voluntatibus pares parentibus futuros*. Quam, nisi me fallit memoria, rationem refricat etiam Grotius, cum de Regnis loquitur hæreditariis. Redeo jam nunc ad propositum meum. Ipsemet Xenophon, quem modo memoravi, Cyro, inquit ibidem, Gentes etiam remotissimas auscultasse, quæ bene noverant, ne fore quidem ut ipsum umquam viderent. Adeo nempe virtutis ejus

(1) Tacit. De Morib. German. Cap. XIII.
(2) Polyb. Histor. Lib. VI. Cap. V.

ejus omnium præstantissimæ opinio, remotiorum Gentium lingua moribusque dissimilium, animos perculerat, ut nihilominus obedire ei voluerint, *κ, μηδενα επιχειρειν αυτῳ*, *& nemo adversus ipsum quidquam moliretur*. Quin tam ingens omnibus ingenti virtute sua ac præstantissima, gratificandi Sibi desiderium injecit, *ωςε αει τη αυτȣ γνωμη αξιȣν κυβερνασθαι*, *ut semper ipsius arbitrio regi cuperent*. Cicero quoque, omnes vetustiores Gentes Regibus quondam paruisse scribit ea quidem ratione; *Quod genus Imperii primum ad homines justissimos & sapientissimos deferebatur* (1).

§. IV. Quæ ostendunt manifesto, ex singulari olim virtutis præstantia, quæ a Deo est omni procul dubio, Dei voluntatem vetustiores Gentes conjecisse, virisque propterea præstantissimis, tamquam Dei Ministris, facile postea obtemperasse. Virtus namque ipsa, sydus veluti fulgentissimum, oculorum aciem, miro splen-

(1) Cic. Lib. III. De Leg. Cap. II. ex edit. Ernesti.

ſplendore ſuo, rudium hominum agreſtiumque animos adeo perſtrinxit, ut præſtantiſſimo viro illi, Deoque per ſapientiam cognato, facile auſcultarent, ac volentes lubenteſque ſemetipſos ejus addicerent arbitrio primum, Imperio deinde. Ita namque natura comparatum ſentiebant homines illi, ut ut rudes agreſteſque, *communique omnium lege nullo peritura tempore, ut præſtantiores inferioribus perpetuo præeſſent* (1). Quare Democritus apud Stobæum (2): Φυσει, inquid, το αρχειν οικηιον τῳ κρεισσονι; *Natura evenit, ut quod melius eſt, imperet*. Unde Ariſtoteles (3): *Quoſdam homines*, ſcribit, *natura eſſe ſervos*, ideſt ad ſervitutem aptos, uti Grotius putat. Natura autem id neceſſarium hominibuſque ſaluti eſt, ut *alii quidem imperent, alii vero pareant*; quæ nobilis eſt Dionis Caſſii ſententia (4).

§. V.

(1) Dionyſius apud Gravin. Lib. ſing. De Rom. Imp. Cap. I.
(2) Serm. XLVII. P. 323.
(3) Ariſt. Lib. II. Politic.
(4) Dion. Caſſ. Lib. XLI. pag. 189. Edit. H. Steph.

§. V. Hanc profecto, quam prædico, singularem virtutis præstantiam, nonnulli olim Populi adeo venerabundi suspexerunt, ut satis habuere præstantioribus, quibus regerentur, obtemperare viris, quam exleges vivere, omnique nexu solutos. Quod Cappadoces præstitisse Strabo (1) testatur; qui oblatæ a Romanis libertati, vitam sub Rege prætulerunt. Itaque Plinius (2) Reges innumeros, scribit, Gentes olim *bonore artium* coluisse, *ut Hieron*, *Attalus*, qui *in ostentatione has præferebant*, *opum immortalitatem sibi per illas prorogari arbitrantes*. Jam vero, cum ipsa Entis alicujus perfectio ac præstantia sit procul dubio, justa obsequii ab inferioribus exigendi caussa (3); facile hinc quisque intelliget, cur homines adhuc rudes & sylvestres, præstantiores illos, quos dixi, viros, omni primum fuerint obsequio ac reverentia prosequuti, deinde etiam muneribus. Præstantiores autem

(1) Strab. Lib. XII. p.544. & Justin. XXXVIII. Cap. II.
(2) Plin. Hist. Nat. Lib. XIV. in princ.
(3) Leg. Amirald. Differt. De Jure Dei in res creatas.

autem hujusmodi viri, primævi fuerunt Reges, qui non bene constitutis adhuc Civitatibus, *manu omnia*, ut de Romanis Regibus tradit Pomponius (1), gubernabant. Itaque Reges hujusmodi, quibus ultro sese homines virtutis præstantia permoti addixerunt olim, *Pastores* potius fuisse, quam *Dominos*, ex eadem vetustiorum Gentium patet Historia. Quamobrem animi falsus non est, qui censet, æquiores potius fuisse arbitros, juri dicundo litibusque aptiores finiendis, quæ forte fortuna inter paganos, qui vicatim degebant, intendebantur. Quod Dejocis exemplo, ex incorrupta justitia arbitri primum apud Medos, deinde etiam Regis, mire confirmatur (2). Quare neque ullo primum Jure certo hujusmodi arbitros fruitos olim fuisse constat, neque ulla exegisse tributa, nisi quæ Patrem Pastoremque decerent. Et re quidem vera apud Persas sub Cyro atque Cambyse nihil fuisse adhuc circa tributa institutum,

narrat

(1) Pomp. L. 2. ff. De Orig. Jur.
(2) Herodot. Lib. I. Cap. 96. & 97.

narrat Herodotus (1): iisdem vero temporibus munera obtinuisse voluntaria. Quare idem addit ibidem; Δια δε ταυτην την επιταξιν τυ φορυ, και παραπλησια ταυτῃ αλλα; *ob hanc tributi ordinationem & alia hujusmodi*, Darium, ex Persarum sententia, fuisse institorem, Cambysen autem dominum, Cyrum vero patrem.

§. VI. Quoniam vero, tum ante, cum post bene constitutas Civitates, injustum erat, quin aliquando etiam periculosum, Reges aliena curare, nihil autem otii in re propria impendere, sine ullo certo Jure, nullaque, ut ita dicam, mercede: statim obtinuit, ut nedum munera afferrentur pro servientium arbitrio; verum ex Populi totius, qui se regi ac in utramvis aurem dormire mallet, consensu sponsioneque publica factum est, ut Summis hisce Civitatis arbitris certa constituerentur tributa ab unoquoque necessario præstanda, quibus præstitis, optata continuo pararetur Civitati tranquillitas. Profecto idem ille, quem modo dixi, Dejoces Phra-

(1) Herod. Lib. III. Cap. LXXXIX.

Phraortis filius, apud Medos arbiter constitutus, noluit, quoniam e re sua haud sibi esse videbatur, rebus suis posthabitis, ubi præsidens prius judicabat, litibus dirimendis amplius præesse. Quare Medi gliscentibus in diem, audacia, rapinis, sceleribus, quibus publica Pax in bellum quotidie vertebatur intestinum, convocato totius Populi concilio, de communi rerum statu colloqui mutuo cœperunt. Itaque Dejocem, quem, ex incorrupta justitia Dei ope florentem, singularique virtutis præstantia, suspexerant, dominatuque Regio dignissimum putarant, magis eum reveriti, publicis constitutis impensis, ejusque rerum omnium summa arbitrio permissa, Regem (1) salutarunt. Ita namque aliquando censuerunt futurum, ut ipsorum Regio bonis administraretur legibus. At lubet, de Regum modo juribus disserere, nonnulla deinde sequenti capite

(1) Præter Herodot. confer etiam Georg. Hornii *Arcam Noæ*; sive *Histor. Imper. & Regnor. a condito Orbe ad nostra tempora*, Pag. 101. Dejoces hic est, qui Cap. I. Lib. *Judith* alio nomine dicitur *Arphaxad*.

te generatim, circa Summæ Regum Potestatis Jura, dissuavianda addere temperamenta.

§. VII. Videamus itaque modo, quibus præcipue limitibus Summa Regiaque Potestas coërceatur; quibusque, Civitate perfecte constituta, propriis fruatur Juribus. Ita namque omnis auferetur de Juribus Principis præjudicata aliqua opinio, quæ alicujus animum hoc tempore fortasse irrepit; simulque omnibus notum fiet, nihil Principi posse Juris denegari, quod ad eum pertinuerit, veluti Populorum suorum Pastorem, Patriæ Civitatisque Parentem, tranquillitatis etiam publicæ, quâ internæ, quâ externæ, Tutorem. Omne Jus, quod Principi tribuetur præter tres hasce caussas, non Jus erit, verum injuria. Licet enim vero Summa Potestas à Deo sit, Summæque Potestatis Jura in infinitum recte a quoquam porrigerentur: eadem tamen, ut nunc sunt humana, adamussim sunt metienda ex ordinatione Dei, qui Principes constituit Pastores, Parentes, Tutores demum Reipublicæ tutandæ, augendæ, amplificandæque.

§. VIII.

§. VIII. Fugit fortasse eruditissimi Grotii diligentiam perinsignis Herodoti locus, ubi Regum Jura apud Lacedæmonios enarrat. Grotius namque (1) moralem facultatem gubernandi Civitatem describens, quæ Potestatis Civilis vocabulo solet ab aliis nuncupari, Thucididis primum, Aristotelis deinde ac Dionysii Halicarnassensis auctoritatibus utitur, Herodotum vero ne meminit quidem. Hicce autem de Regum Juribus apud Lacones sic loquitur (2): *Hæc autem decora Regibus Spartiatæ tribuerunt: duo Sacerdotia, Jovis Lacedæmonis & Jovis Cœlestis, & Jus belli in quamcunque libuerit regionem efferendi, ut id nulli Spartiatarum prohibere fas sit; sin piaculari crimine teneatur. Ut in militando primi eant Reges, abeant postremi. Centum delecti viri eis in militia custodes adsint. In profectionibus ad bellum utantur ovibus quotcunque libuerit: quarum immolatarum omnium pelles ac terga accipiant ipsi. Bellica hæc. Alia sunt, quæ Pacis tempore eis tribuuntur:*

Q

(1) Lib. I. De J. B. & P. Cap. III. §. VI. n. 1.
(2) Herodot. Lib. VI. Cap. 56.

tur : ut quoties aliquod publicum Sacrificium fit, primi in cœna Reges discumbant, & iis primis dari partes incipiant, unicuique eorum dupla omnia, quam cæteris convivis: libaminumque initia penes illos sint, & immolatarum ovium coria singulis quoque Kalendis & septimis diebus ingressi Mensis, singula pecora perfecta utrique e publico dentur in Apollinis; (1) *& farinæ me-*

(1) **Non abs re autem fore puto, paucis hocce in loco Græcas hasce mensuras, quas memorat Herodotus, illustrare. Genuinas vero harum mensurarum notiones Clarissimus mihi suppeditat Bartholom. Beverinius.**

Incipiam a *Medimno* & *Chœnice* Aridorum Mensuris: Laconici deinde *Quartarii*, & *Cotylæ*, quæ fluidorum mensuræ fuerunt, notiones subnectam. *Medimni* sæpe meminit Tullius in Verrinis. Verrem, ait Tullius, frumenti pretium auxisse, *medimnumque*, qui prius ex lege 12. Sextertiis venibat, 15. *H. S.* vendidisse. Idem vero superaddit: (conf. Tull. Act. 2. in Ver.) *est enim Modius lege H. S. duobus*. Unde patet, quod si *Modius* duobus venibat H. S. *Medimnus*, qui venibat 12. constabat sex modiis. Bene itaque Suidas scribit, *Medimnum esse mensuram sex modiorum*. Consentit etiam Budæus Lib. V. de Asse. Quinimo id clare patet ex Cornel. Nep. in vita Pomp. Attici, ubi scribit Pomponium universos Athenienses frumento donasse; *ita ut singulis sex modii tritici darentur, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur*. Quamobrem *Medimnus* Atticus æqualis fuit

medimnus & vini Laconicus quartarius: &

fuit Romano & Siculo, quem item sex Modios complexum fuisse, patet ex Cicerone in Verr. V. ubi 36.*medimnos* interpetratur modios 216. Idemque 90000. medimnos, 540000. modiorum exponit. Quis autem ignorat, quod 36 × 6 = 216. & 90000 × 6 = 540000?

Veniam modo ad Chænicem, qui de fluidis etiam accipi solet. Consentiunt Beverinius, & Einschmidius, Chænicem vulgo diurnum hominis cibum significasse: at inter ipsos circa mensuræ modum non convenit. Illenamque asserit, Chænicem fuisse quartam modii partem, ac proinde sextarios quatuor continuisse; hic autem octo Chænices in modio fuisse ac propterea sextarios duos. At observandum est duorum generum Medimnos aliquando Athenis obtinuisse; majorem unum sextariorum 96.; minorem alterum sextariorum 72. Ex quo factum forte est, ut hæc Einschmidio cum Beverinio non convenirent. Cæterum neuter dubitat, Chænicem victum unius hominis diurnum præstitisse. Quamobrem Chænix ημεροτροφις & ημερησια τροφη a Græcis olim dicebatur.

Mensuras nunc fluidorum accurate perpendam *Cotylam* nempe & *Quartarium*. Quas ut bene quilibet noscat, *Sextarium* antea definiendum reor. Memorat Livius Lib. 7. *vini Sextarium* itemque Tullius *Sextarium aquæ*. Fuit itaque *Sextarius* mensura unciarum aquæ vinique 20: ita vero dictus, quod esset sexta pars *Congii*, quem Plinius hisce verbis, *cum quinque congii austeri musti*, memorat Lib. 14. Cap. 9. hist. Nat. Sextarius itaque erat sexta pars *Congii* communi omnium sententia; *Congius* vero quarta pars *Urnæ*; octava pars *Amphoræ*. Quamobrem *Congius*, ut obiter hæc notem, com-

complectebatur *Sextarios* sex, uncias nempe vini vel aquæ 120. *Urna* vero uncias 480.: Amphoræ demum capacitas erat unciarum 960. *Sextarium* porro, sicut *Assem*, in partes duodecim dividebant, quarum singulæ dicebantur *Cyathi*; capiebatque *Cyathus* vini & aquæ unciam, & $\frac{4}{6}$: *Sextans* capiebat duos *Cyathos*; *Quadrans* sive *Quartarius* tres, nempe quartam partem *Sextarii*, sive quinque uncias. *Triens* quatuor *Cyathos*. *Quincunx* quinque *Cyathos*: *Hemina* sive *Cotyla* sex *Cyathos*; *Septunx* septem *Cyathos*; *Bes* octo *Cyathos*; *Dodrans* novem *Cyathos*; *Dextans* decem *Cyathos*; *Deunx* undecim *Cyathos*; *Cyathus* denique unius potionis mensura erat, & complectebatur aquæ vinique unciam & $\frac{4}{6}$. Capiunt hinc lucem illa Martialis Lib. 8. Epig. 51.

„ Quincunces & sex Cyathos Bessemque bibamus.

Et item illa;

„ Porro ego Sextantes, tu potas Cinna deunces.

Quibus positis facile constabit, quid *Cotyla* fuerit & *Quartarius*. *Cotyla* nempe (*Heminam* eam appellat Galenus Lib. de Pond. & Mens.) certe fuit *Sextarii* dimidium, nempe continebat aquæ vinique uncias decem, & quatuor *acetabulis* constabat. *Quartarius* vero erat quarta pars *Sextarii*, nempe uncias aquæ vinique 5. continebat. *Acetabulum* vero, ut nihil obscuri reliquum sit circa Mensuras fluidorum, erat teste Plinio Lib. 21. Cap. 34. *Heminæ* quarta pars, complectebatur scilicet uncias aquæ vinique 2 $\frac{1}{2}$. Procul autem omni dubio, *Sextarii Romani*, *Attici* & *Hebraici* capacitatem eamdem fuisse, asserit Beverinius et Villalpandus; licet re-

pta loca, & penes illos sit constituere Proxenos, quos ex Civibus velint, & utrique binos eligere Pythios. Sunt autem Pythii, qui Delphos ad consulenda oracula mittuntur, quique publice cum Regibus pascuntur. Regibus ad cœnam non euntibus domum mittantur bini farinæ chœnices & vini cotylæ: præsentibus dupla dentur omnia. Eadem ratione a privatis quoque invitati ad cœnam, honorentur. Vaticinia, quæ contigerunt, ab illis custodiantur: sed simul ea noscant Pythii. Reges soli de his solis judicent. De Virgine, ad quam tota hæreditas devenerit, quem habere eam oporteat, si Pater eam nondum desponderit: nec non de viis publicis: & si quis adoptivum filium facere velit, coram Regibus id fieri; eosque quoque consultantibus assidere senioribus, qui sunt duo de triginta. Si eo non accesserint, eorum

 ma-

repugnet Alcazarius. Hinc Herodoti verbis maxima lux affulget, simulque Reges Lacedæmonios patet parce nimium se habuisse, ac maxima floruisse modestia. Quorum exemplum utinam imitemur! Conf. Bever. *Syntagma de Ponderib. & Mens. Antiquor.* edit. in 8. an. 1719. & Jo. Caspar. Einschmidium, *de Ponder. & Mens. veter. Rom. Græcor. Hebræor. edit. in 8. Argentorati* 1737. **Item clariss. Cumberland.**

maxime propinqui senes decora Regum obtineant, duos calculos ponendi, tertium pro seipsis. Viventibus hæc Regibus a Rep. Spartiatum tribuuntur &c.

§. XI. Reges autem hujusmodi apud Lacedæmones, sicuti & apud Athenienses, Reges non erant pleno jure; Imperii nempe *summitatem* una cum ejus *plenitudine* non habebant. Eorum ergo Magistratus erat præcipuus, qui publicis alebatur impensis, quique de iis rebus curam gerebat, quas, uti amplissimo Senatorum ordini apud Romanos olim, Respublica iis demandaverat. Quod clare profecto patet ex Herodoti verbis: ταυτα μεν ζωσι τοισι Βασιλευσι &c. *hæc viventibus Regibus a Rep. Spartiatarum tribuuntur.* Clarius autem ex Julio Polluce (1) constat: hic enim Regis officium apud Athenienses describens hisce verbis, ουχ ο Βασιλευς ποιει, inquit; *Sed Rex mysteriis præest cum curatoribus eorum, Bacchi festis & certaminum lampadis. Et patria administrat sacrificia. Dicuntur autem apud illud dies seu actiones impietatis, sacrilegii, controversiæ, Sed & generibus & sacris omnibus,*

(1) Jul. Pol!. Lib. VIII. Cap. IX. §. 90.

bus, ille jus dicit. Et cædis actiones in Areopagum inducit, coronaque deposita simul cum ipsis judicat. Contendentibus porro interdicit a Mysteriis & aliis legitimis abstinere; judicat & inanimatorum caussas. Hujus porro conjugem Reginam vocant. Hujusmodi autem Rex, cujus munia exponit Pollux in suo Onomastico, non erat is, quem Regem hodie appellamus pleno jure, nempe penes quem Summa est Potestas ac indivisa. Summa namque Potestas apud Lacones & Athenienses penes Populum erat: quem vero Regem vocabant, Magistratus erat procul dubio, hocce nomine præditus, qui sacra præcipue curaret. Non solum autem ex Polluce, verum etiam ex pluribus Aristophanis locis apparet, Regem apud Athenienses atque Lacones, Magistratus nomen fuisse, qui Mysteriis præerat & Sacrificiis (1). Cæterum apud Romanos etiam Rex extitit *sacrificulus*: quod nemo unus ignorat.

§. XII. Horum itaque Regum Potestas

(1) De officio Regis in Sacris Leg. Sigon. Lib. IV. De Rep. Athen. Cap. ult. & Differtat. nostram ad Herodoti locum, in hujusce libelli calce.

Summa non erat: quippe cujus actus totius Populi suberant arbitrio, irritique persæpe volente Populo aut Ephoris, aut Populi ordine ampliori, ut Areopagus Athenis, Senatus Romæ, reddebantur. Eorum sane Jura angustis erant limitata cancellis, neque ad Justi Imperii imaginem Juriumque Majestatis recte poterunt revocari. Quare, licet Herodoti ac Pollucis auctoritas multum de Juribus Principis tractationem adjuvet, quam forte fortuna instituere in animum induxi meum: aliunde tamen, ex scriptoribus nempe, qui pulchre Summæ Potestatis Jura callebant, proprias repetam ac nativas Majestatis Jurium notiones. At nec ipsi quidem Politici scriptores, juriumque Principis callentissimi, conveniunt mutuo inter sese: alii quippe aliis breviores, alii vero magis, quam oportebat, diffusi. Quas itaque posuerunt de Principum Juribus partitiones, hujusmodi non sunt, ut nihil iis addi, demi ab iis nihil possit: uno verbo non sunt summæ.

§. XIII. Et sane, quam Summæ Potestatis Civilis Jurium nobis partitionem tradidit jam inde a suis temporibus Thucidides; ea vero omnium manca & imperfe-

fecta est. Thucidides itaque (1) de Delphiensibus loquens, Populis quidem liberis, eos appellat αυτονομους, και αυτοπολεις, και αυτοδικους, και αυτων και της γης των εαυτων, κατα τα πατρια: *suis nempe utentes legibus, suis vectigalibus* (alii vertunt *Magistratus*, uti videre est apud Scholiasten) *suisque judiciis, in decidendis controversiis, tum eorum, qui in Urbe habitant, tum eorum, quos in sua ditione habent, idque patrio instituto*. Quibus verbis Thucidides ait, Civitatem, quæ vere Civitas sit, hoc est, penes quam Summa sit Potestas, juribus hisce frui. I. Ferendarum Legum. II. Vectigalia imponendi. III. Instituendi Judicia sive privata sive publica, Magistratuum ope. Deest, ut cuique patet politicarum rerum prudenti, partitioni huic, Jus de fœderibus, de Bello inferendo, de Induciis, quæ simul cum pluribus aliis ad Summam pertinent Potestatem. Thucidide diligentius ac perfectius Summæ Potestatis Jura complexus est Dionysius Halicarnassensis: ad eam quippe retulit

(1) Thucid. Histor. Lib. V. Cap. XVIII. Tom. I. in Fol. ex recens. Ducheri. Amstelæd. 1731.

lit (1). I. Jus Magistratuum creandorum. II. Jus Legum condendarum & tollendarum. III. Jus de Bello Paceque decernendi. IV. Alibi (2) addit Judicia. V. Alibi denique (3) Sacrorum curationem adjicit, Comitiorumque convocationem. Quæ satis sit ex Historicis collegisse.

§. XIV. Philosophi porro, qui Politicorum callentissimi, Majestatis jura summa cum diligentia sunt persecuti; ii vero, mea quidem sententia, duo cæteris antecellunt: Aristoteles, qui priscis floruit temporibus rerum politicarum scientia singulari, magnusque vir post renatas litteras Ugo Grotius, qui aliquando ipso Aristotele acutior, ingeniique perspicuitate ac nativa elegantia amabilior, rem ipsam & melius putat, & rectius dividit. Aristoteles itaque, tria, inquit (4), ad Summam Reip. administrandæ Potestatem pertinere. I. Consultationem nempe de rebus communibus. II. Curam legendorum Magistratuum. III. Judicia. Ad res autem retulit communes, ne divisio man-

(1) Lib. IV. Cap. XX.
(2) Lib. VII. cap. XXXVI.
(3) Lib. II. cap. XIV.
(4) Lib. IV. Politicor. cap. XIV.

manca foret, deliberationem de Bello, Pace, Fœderibus fanciendis rumpendifque, de Legibus, infuper de Morte, Exilio, Publicatione & Repetundis, five ut Grotius (1) interpretatur, Judicia publica: antea enim in prima partitionis parte judiciorum nomine, privata dumtaxat intellexiffe idem autumat Grotius. At neque hæc Ariftotelis partitio, omnibus numeris abfoluta vifa eft viris doctis. Quare una Grotii divifio iis arrifit, quæque una propterea fe mihi, fi recte video, etiam probat.

§. XV. Nimirum, qui Summa Poteftate pollet (2) Civitatemque regit, eam partim per fe, partim aliorum opera regit vicaria. Quando autem regit per fe, aut circa univerfalia verfatur, aut circa fingularia. Verfatur quidem circa univerfalia condendo Leges, eafque, fi res ita tulerit, abrogando, tam circa Sacra (quatenus nempe apud Chriftianos etiam, Summæ Regiæque Poteftatis eft, Fidem tueri, Difciplinam-

(1) Grot. Lib. I. De J. B. & P. cap. III. §. VI. n. 1.

(2) Grot. Lib I. De J. B. & P. cap. III. §. VI. n. 2.

namque moderari (1)), quam circa Profa-

(1) Non est itaque, cur tantopere debbacchentur in adnotationibus ad hunc Grotii locum, doctissimus Tesmarus, ipseque Gronovius, adversus Summum Romanum Pontificem, adversus nempe totius Sacerdotii culmen: Cooptata quippe nova Christi Religione, desiit Sacerdotium in persona Principis, adeoque Principibus ipsis volentibus, sacra facta sunt Juris Pontificii. Memoranda sunt Constantini Magni verba, quibus, narrante Eusebio in ejus vita Lib. 4. Cap. 24 ita allocutus est Patres Nicoenos: *Vos in iis, quæ intra Ecclesiam* (sive in spiritualibus) *ego in iis, quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus*. Et Imperator Valentinianus rogatus ab Hellesponti Episcopis atqui Bithyniæ, ut habendæ Synodi daret veniam, *sibi qui unus*, respondit, *erat e numero laieorum non licere, se ejusmodi negotiis interponere*; uti refert Sozomenus Lib. 6. Histor. Cap. 7. Quamobrem Sacra hodie, ex Christi instituto Deique ordinatione, juris sunt Pontificii, neque a Regia Potestate pendent, nisi *indirecte*. Plura extant in Justiniani Codice, quibus probari potest facillime, Principes, cooptata Christi Religione, Sacra, Fidem, Disciplinamque Ecclesiæ tuitos tantum fuisse. Legendus est hac de re clarif. Petrus de Marca De Conc. Sac. & Imp. Lib. II. Quæ autem sint temperamenta circa Jus Summarum Potestatum adhibenda *circa sacra*, legesis apud clarissimum virum, quem summa veneratione prosequor, quod homo est vere antiquus, Franciscum Confortium in *Antigrotio*, Libro, qui est quantivis pretii ob multivagam omnigenamque eruditionem. Legi etiam potest Dissertatio nostra ad Can. 4. Dist. 99. qui ita infit: *Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*. Quam fortasse in hujusce libelli calce edemus cum reliquis.

ſana. Singularia autem, circa quæ verſatur, ſunt aut directe publica, aut privata quidem, ſed quatenus ad publicum ordinantur. Directe publica ſunt actiones, ut Pacis, Belli, Fœderum ſanciendorum; aut res, ut Vectigalia, quæque his ſunt ſimilia, in quibus continetur Imperium eminens, quod Summa Poteſtas Civilis habet in Cives & res civium Reipublicæ bono. Privata porro ſunt res inter ſingulos controverſæ, quas publicæ tranquillitatis intereſt, publica auctoritate finiri. Quæ quidem omnia, cum a Principe expediri nequeant ſine regulis arteque ulla; bene dehinc Ariſtoteli Ars illa, qua (1) Princeps verſatur circa univerſalia, dicitur αρχιτεκτονικη, ſive *Architectalis*; qua vero verſatur circa *directe* publica, eidem eſt πολιτικη ac βυλευτικη, ideſt *Civilis* ac *Conſultatrix*; qua tandem privata moderatur, ab eodem magni nominis ingeniique Philoſopho, appellatur δικαστικη, nempe *judicialis*. Hæc autem ad primam pertinent diviſionis partem, quam Grotius tradit. Ad alteram vero quod ſpectat, recte idem ait noſter Auctor; quæ Sum-

(1) Ariſtotel. Ethic. ad Nicom. VI. 8.

Summa Potestas Civilis aliorum opera expedit, ea aut per Magistratus, aut per alios Reipublicæ curatores, veluti Legatos, expediri. Quæ quidem Summæ Potestatis Civilis partitio omnia complectens Majestatis Jura, adæquata visa est viris doctis, omnibusque numeris absoluta. At lubet, secundum hanc divisionem, paulo acutius, clariusque, Majestatis Jura, de quibus altero tractaturi erimus libello, si Deus nobis hæc otia fecerit, cum clarissimo Puffendorfio ac doctissimo Heinecio, diligentius perpendere.

§. XVI. Puffendorfius itaque ac Heinecius (1) ex duplicis constitutæ Civitatis fine, Majestatis Jura definienda censent; eaque propterea, a Scholæ Philosophis mutuatis vocibus, in *Immanentia* dividunt & *Transeuntia*. Cum enim duplex sit Civitatis finis, securitas nimirum Civium a Civibus, quam vocant *internam*, & eorumdem securitas ab exteris, quam *externam* securitatem appellant: Jura

(1) Puff. Lib. VII. De J. N. & G. Cap. IV. §. III. & Hein. Lib. II. De J. N. & G. Cap. VII. De Sum. Potestat. §. 135. & seq.

ra hinc, quæ Summis competunt Imperantibus utrique tuendæ securitati; ea vero, si ad *internam* spectant securitatem, *interna* vocant & *Immanentia*, si *externam* tranquillitatem respiciant, puta Civium ab hostibus, *externa* appellant ac *Transeuntia*. Utraque porro diligentissime definiunt ac dilucide. Cum securitas etenim *interna* in *externa justitia* ponatur, neque *justitia externa*, sive actionum *externarum* conformatio cum aliqua certa norma & evidenti, sine *lege*, quæ norma sit Civibus, concipi umquam possit: primum hinc ad Summæ Potestatis Civilis Jura revocant *Immanentia*, Summum Jus ac Potestas *ferendi leges*, easque postea, ut collibitum fuerit, *modificandi*, sive ut cum Jurisconsultis loquar Romanis, Jus *leges rogandi*, *obrogandi*, *derogandi*, *abrogandique* (1). Hoc præcipuum Regiæ Potestatis Jus ex Civitatis fine oritur præstantiori, *interna* nempe Civium securitate, quam sine *legibus* nemo umquam consequetur. Hinc vere scripsit Paterculus (2), Summas Potestates adeo constitu-

tas

(1) Ulpian. Fragm. I. 3.
(2) Vell. Paterc. Histor. II. 89.

tas, ut *data legibus vi*, *judiciis auctoritate*, *cultus agris*, *sacris honos*, *securitas hominibus*, *certa rerum suarum possessio cuique constaret*.

§. XVII. Cum homines autem animalia sint contumacia & refractaria, satis non est Leges tantum tulisse, quò Cives a Civibus securi reddantur: necesse est insuper, ut penes Summam Regiamque Potestatem sit *Jus Leges etiam interpetrandi exequendique* pro Suprema Jurisdictione. Demum quo ad Leges attinet, necesse quoque est, eas Pœnæ sanctione fulciri, quæ plerumque earum observationi facinorosos adigit, qui vivunt in diem, quique Justitiam non respectant, nisi Pœnæ formidine coerceantur. Quamobrem & Jus *infligendi Pœnas* ad Summam pertinet Potestatem. Ad Jura quoque *Immanentia* revocantur; *Jus Imperii eminentis*; *Jus tributa & vectigalia Portoriaque exigendi*; *Jus regundorum commerciorum tutandorumque*; *Jus circa Pondera*, *Mensuras Publicas*, *Pecuniamque cudendam*; *Jus Annonæ*; *Jus in Artes*, *Litteras*, *Academiasque*, *ac reliqua omnia*, *quæ ad decus pertinent Civitatis*; *Jus*, pro ut nunc sunt humana, *Religionem tuendi*; *Jus* de-

ni-

nique *Administros constituendi ac Magistratus*, *qui de Civium actionibus* cognoscant, quique *Jus exequendi leges* exerceant. Jura hæc sunt *immanentia*.

§. XVIII. Ex Civium porro externa securitate, *Jura* manant *transeuntia*; quæ multo sunt pauciora. I. *Jus Fœdera percutiendi*. II. *Legatos mittendi*. III. *Bellum indicendi gerendique*. IV. *Pacem*, *bello gesto*, *vel adhuc dum geritur*, *faciendi firmandique*. Quæ quidem Jura securitatem parturiunt *externam*. Nisi etenim Jus esset feriendi Fœdus; nulla umquam harmonia Civitates potentiores inter ac impotentiores existeret umquam. Dempta deinde facultate mittendi Legatos, ne fœdera quidem ulla percutientur. Demum si vel uno temporis articulo cesset Jus Belli ac Pacis, jam continuo *externa* securitas intervertitur, neque ullum resistendi hostibus suppetet medium. Hæc quidem Jura tum *Immanentia* scilicet, cum *Transeuntia*, in unius Summi Imperantis, qui Dux est, ut alibi pluribus, & Populi parens & altor, sunt proprietate. Jus namque in finem, quod sine dubio, ad Summum pertinet Imperantem, ita quidem, cum Juribus in media, ipsum

per se ac natura sua conjunctum est, ut nequeat divelli, quin subito Civitas ipsa intereat. Adeo autem verum est, ea Jura esse in Summi Imperantis proprietate, eumque dumtaxat afficere; ut is nemini de hisce Juribus, rationem reddat, nisi uni Deo, a quo Summam Potestatem accepit; neque eadem Jura, cum vere sint, uti ajunt, *incommunicabilia* (1), alicui possit impertiri.

§. XIX. At vela contrahamus, Majestatisque Jura Decemvirali condamus carmine: quod sit Jurium Principis contractus veluti Codex; Principumque de Juribus documentum in illustriori positum monumento.

TAB.

(1) Falluntur igitur Jurisprudentes semibarbari, qui Lib. II. Feudorum. 56. nonnulla legentes de *Juribus Regalibus*, quæ cum Feudis copulantur, *Regalia* dividunt in *majora* & *minora*, quæ *Vassallis* queant *dependenter* communicari. Prudentes hosce, qui tamquam quoqui Plautini, diversissima Jura sæpe miscuerunt, refellit jam clar. Thomasius *Ad Huberi De Jure Civitatis*. T. 3. 6. p. 91. & seq.

TAB. I.

Regia Potestas.

PRINCIPES . IOVE . PROGNATOS
ALVMNOSQVE
VTI . DEI . CVNCTA
SOSPITANTIS . EFFIGIEM
COLITO
NI . FAXIS . SACER . ESTO
PRINCIPVM . IVRA . VNIVERSI
ORDINE . INSERTA
NE . LAEDITO . QVAE SANCTA
SVNTO
SI . LAESERIS . CAPITAL . ESTO
EOS . OMNI . IVRIS . VINCVLO
SOLVTOS . HABETO
QVI . SECVS . IVDICASSIT
MAIESTATIS . TENETOR
EORVMVE . SI . PRIVATORVM
VITAM . BONA . INVASERINT
CLEPSERINT
INIVSTA . LICET . IMPERIA
MODESTE . TOLERATO
DEOQVE . VLTIONEM
REMITTITO
NEVE . IIS . QVACVNQVE . DE

CAVSSA . RESISTITO
SECVS . FVSTE . FERITOR.

TAB. II.

Jura Principum Immanentia.

VTI QVAEGVNQVE EX CIVITATIS VSV MAIESTATE DIVINARVM HVMANARVM PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE PRINCEPS CENSEBIT EA EI AGERE SVMMA SIET POTESTAS

QVAEVE POSTREMO IS IVSSERIT EA RATA SIENT IVRA QVAE INTERPRETARI EXEQVI POENAEQVE SANCTIONE MVNIRE POSSIET

VTIQVE PRO EMINENTI IMPERIO QVAECVNQVE REIP. BONO ACTA DECRETA IMPERATA A PRINCIPE FVERINT BENE IVSSA RATAQVE HABEANTVR

VTIQVE COMMERCIA PONDERA MENSVRAS REGAT ARGENTVM SIGNET PECVNIAM CVDERE FACIAT

VTI-

VTIQVE TRIBVTA VECTIGALIA PORTORIA CONSTITVENDO AERARIO

HABITA PERPETVO IMPERII TVENDI RATIONE IMPONERE EI LICEAT VTI SEMPER REIP. LICVIT TVTORIBVS

VTIQVE PVBLICVS PARENS ANNONAM ADMINISTRARE FACIAT ARTES LITTERAS SCHOLAS ACADEMIAS RELIGIONEM PRAECIPVE PROVEHAT TVEATVRQVE

VTIQVE QVIBVS MAGISTRATVM POTESTATEM IMPERIVM CVRATIONEMVE CVIVS REI COMMISERIT QVIBVSVE EXTRA ORDINEM DEMANDAVERIT EORVM RATIO POTISSIMVM HABEATVR.

T A B. III.

Jura Transeuntia.

FOEDVSQVE CVM QVIBVS VOLET FERIRE LICEAT LEGATOS PROINDE MITTERE COLLIBITVM VTI FVERIT QVIBVSVE VOLET

VTIQVE CVM EX VOLVNTATE

IVSSV MANDATVVE EIVS BELLVM INDICETVR EAS IN GENTES VELVTI HOSTES PVBLICOS AETERNA AVCTORITAS SIET

NEVE CVI EA DE RE SIET IVDICATIO NEVE QVIS POSITIS LORICIS ET GALEIS PACEM APVD SE COMPONI SINAT

ARMORVMQVE IVS BELLIQVE PACISQVE PENES VNVM PRINCIPEM ESTO.

Explicit Codex Jurium Principis.

C A P. XIV.

Temperamenta circa Summæ Potestatis Jura proponuntur. Fidelia Monita deinde, eaque vetustissima, Principibus in memoriam revocantur.

§. I. PRius quam manum de tabula, ac priori huic libello finem imponam, non abs re fore puto, nonnulla hic tandem percurrere, quæ Summæ Potestatis Principum considerari possunt necessaria veluti temperamenta: monita deinde quædam Principibus in memoriam revocare, quæ

quæ prudentiores Politici, sapientissimis alioquin Imperatoribus, suggesserunt, ut ea præ oculis perpetuo haberent, feliciter regnaturi.

§. II. Posita jam vero Principis Jurium partitione luculentissima, superest, ut promissi memor, justa hîc eaque maxime utilia appingam temperamenta. Certum itaque primo est, quô usque Majestatis Jura progrediantur, ex Dei ordinatione opus esse, ut Bonus Princeps omnino se præbeat, bonum veluti pastorem æquumque parentem; qui Summa Potestate, quam a Deo accepit precario, Summisque Juribus numquam abutatur. Cyri dictum sane memorabile, idem recolit Xenophon; quô παραπλεσια εργχειναι νομεως αγαθυ και Βαπλεως αγαθυ, *Similia esse perhibuerit boni Pastoris & boni Regis opera* (1). Debere namque bonum Pastorem, ajebat, cum felicitatem jumentis comparaverit, ita deinde illis uti, ut felicitas illis minime intervertatur: itemque bonum Regem, cum felicitatem Civitatibus, quas moderatur, pepererit, iisdem

R 4

(1) Xenoph. Lib. VIII. Cyrop. Pag. 450. ejusd. edit.

dem uti dumtaxat debere, non abuti. Hinc est, quod antiquissimi Populorum Rectores, temporibus Græcorum heroicis ποιμενες audiebant, *Pastores* nempe; ipsique Ecclesiæ Præsules ποιμεσι in Sacris Litteris comparantur, dicunturque Ecclesiam ποιμαινειν (1). Quare ipsemet Christus, Rex Regum, Summusque Ecclesiæ Præfectus, Paulo vocatur (2) ο ποιμην ο μεγας, *magnus* videlicet *Pastor*; ipseque Cyrus, cui recitatam modo Xenophon tribuit sententiam, *Pastor Domini* ab Isaia appellatur (3). Quare Plinius Panegyr. in Trajan. in prin. *Discernatur*, *ait*, *orationibus nostris diversitas temporum* . . . . . . *Non enim de Tyranno*, *sed de cive*; *non de Domino*, *sed de Parente loquimur*. Quæ cum ita sint, facile patet, Reges etiam nunc debere, ut olim, ad Pastorum instar nihil per contumeliam facere, neque Summa ubique uti Potestate; neque iræ habenas permittere (4), quasi contumaci cuidam Equo, qui sine fræno atque auriga, præcipiti cum impetu feratur.

(1) Vid. Act. XX. v. 28. & I. Petr. v. 2.
(2) Ad Hebræos XIII. v. 20.
(3) Isai. Cap. XI. v. 28.
(4) Conf. Julian. Orat. II. Pag. 50. edit. cit.

tur. Quamobrem præcipua boni Principis gloria ea sit, quæ boni etiam Pastoris, sui Gregis felicitatem comparare, nec ullum umquam subditorum vexare immerito; omnes sine discrimine legibus cogere servandis; nimis autem severum non esse(1); verum ut Ulysses Homero, πατερ sit perpetuo ηπιος, mitis nempe, quique omnes dissuavianda semper clementia devinciat. Itaque Plinius ibidem; *Unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat, nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit*. Quæ cum, quem pluries laudavi, Cyrus præstitisset, merito Xenophon ait (2): Τις δε αλλος καταστρεψαμενος αρχην, υπο των αρχομενων πατηρ καλουμενος απεθανεν, η Κυρος; *Quis alius cum Imperium aliorum evertisset, sic diem obiit supremum, ut a subjectis sibi Pater appellaretur, præter Cyrum?*

§. VIII. Rex præterea justissimus futurus Imperioque dignissimus, sit ο λογος, seu ipsamet recta ratio, quod Justinus inquit (3): nulla namque insuper via effi-

(1) Conf. Julian. *Cæsares*. Pag. 314. ejusd. edit.
(2) Lib. VIII. Pag. 448. ejusd. edit.
(3) Just. Apolog. II. Pag. 59. ejusd. edit.

effici poteſt, ut Principum mens, divinæ auræ particula, hominum procuret tranquillitatem, quam ſi pravis affectibus ſuperior, pura exiſtat, ac uti Ariſtoteles ait, ανευ ορεξεως νȣς. Profecto Summa Regiaque Poteſtas Θεμιστος, ſive Summæ Univerſi Legis, vices gerit, quam λογον, Dei nempe *intelligentiam* dicunt Platonici, & *perſonaliter Dei Filium*, Divinæ Litteræ Scholæque Theologi. Neque ob aliam cauſſam Reges perpetuo, Homero Heſiodoque, cæteriſque, Διογενεις ac Διοτρεφεις, *Deo natos*, *Deique alumnos* appellatos putarim. Quamobrem pulchre idem Julianus Imperator (1), Principem ipſum ne-

(1) Jul. Imper. Orat. II. Pag. 89. & 90. ejuſd. edit. Itaque Nero apud Senecam Lib. I. De Clem. Cap. I. vere dixit: „ Ego ex omnibus mortalibus „ placui, electuſque ſum, qui in Terris Deorum „ vice fungerer: ego vitæ neciſque gentibus arbi„ ter. Qualem quiſque ſortem, ſtatumque habeat, „ in manu mea poſitum eſt. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat. „ Ex noſtro reſponſo lætitiæ cauſſas, populi urbeſ„ que concipiunt. Nulla pars umquam, niſi vo„ lente propitioque me, floret. Hæc tot millia „ gladiatorum, quæ pax mea comprimit, ad nu„ tum meum ſtringentur: quas nationes funditus „ excidi, quas tranſportari, quibus libertatem dari, „ quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quo„ rum-

neque in manibus gladium gerere ad cujusquam civium perniciem oportere; inquit; neque aculeum ullum in ejus animis hærere: Siquidem & in Apum genere, Regi aculeum a natura denegatum videmus. Ipse porro summus rerum omnium Moderator ac Rector, cujus interpretem ac vere Ministrum, bonum esse Principem decet, summa dumtaxat clementia homines moderatur ac regit. Nihil autem præstantissimo viro dignius, qualem Principem esse decet, placabilitate atque clementia; jam inde Cicero obser-

„ rumque capiti regium circumdari decus oporteat, „ quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio „ est. In hac tanta facultate rerum, non ira me „ ad iniqua supplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia, „ quæ sæpe tranquillissimis pectoribus patientiam „ extorsit: non ipsa ostentandæ per terrores potentiæ dira, sed frequens magnis imperiis, gloria „ conditum, imo constrictum apud me ferrum est. „ Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis: nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud „ me gratiosus est. Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo. Sic me custodio tamquam legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem „ evocare, rationem redditurus sim . . . . „ Hodie Diis immortalibus, si a me rationem repetant, annumerare genus humanum, paratus „ sum.

servavit, cum de officiis, filio Ciceroni, singularia documenta suggessit.

§. III. Monita Principibus in memoriam revocanda, ex Antiquis Scriptoribus, uti reliqua, me collegisse juvat. Primum omnium apud Philostratum (1) Apollonius fatetur, Regnare rerum humanarum maximam quidem esse, doceri autem non posse: Βασιλεια γαρ μεγιστον μεν των κατ' ανθρωπυς, αδιδακτον δε. Principes autem rebus ipsis ac factis rem adeo difficilem addiscent, Imperiumque firmare, si quædam præstiterint: alioquin eorum res numquam in tuto collocabitur. Ea vero sunt. I. Ingentibus divitiis, quæ Ærario accumulatæ servantur, ne gaudeant Principes dumtaxat: iis autem, miseris subditis succurrendis, iisque, qui multa possident, ut securi possideant opes fortunasque, utantur. Secus enim, quid hujusmodi divitiæ arenæ distabunt undique congestæ? Caveant vero potissimum, quod Apollonius ibidem observat, ne eas hauriant divitias a Subditis misere ob gravio-

(1) Philostrat. Vit. Apoll. Tyan. Lib. V. Cap. XXXVI. Pag. 220. ex vers. Olearii. Tom. I. in fol. 1709.

viora tributa solvenda *lamentatis*: Κιβδηλον γαρ ο χρυσος και μελας ην, *Sublestum enim est aurum atrumque, si ex lacrymis veniat*, εκ δακρυων ηκη. II. Animo secum quotidie reputent, ut bene regnent, Principatum non rem quidem esse per se hæreditariam, at virtutis præmium, μη κληρονομιαν, αλλ' αρετης αθλον, uti ait ibidem Philostratus. Itaque filiorum in educationem incumbant præcipue, ut boni Principes evadant Imperioque dignissimi. III. Quamquam Legibus Princeps solutus sit; ipse tamen legem dominam agnoscat minime umquam violandam. Memorabile illud est Athalarici Regis apud Cassiodorum (1): *Bonus Princeps ille est, cui licet pro justitia loqui; & contra tyrannicæ feritatis indicium audire nolle constituta veterum sanctionum. Renovamus certe dictum illud celeberrimum Trajani: Sume dicationem, si bonus fuero pro Rep. & me, si malus pro Rep. in me.* Hinc Sidonius Apollinaris (2).

„ Cui

(1) Cassiodor. Var. Lib. VIII.

(2) Sidon. Apollin. Panegyr. Majorian. in fin. Conf. Niceph. Lib. 3. Cap. 23. & Plin. in Paneg. c. 328.

„ . . . . Cui teste Senatu
„ In se etiam tractum commiserat Ulpius ensem.

Ita qui Princeps leges ipse, quas tulit, colit, in ferendis postea legibus erit moderatior. IV. Cum ex superioribus Princeps sit Populi pastor ac parens, qui bono exemplo subditos debet ad virtutem justitiamque animare: ipse itaque magis quam antea Deum colat ac vereatur, θεους θεραπευε, inquit ibidem Imperatori Apollonius, μαλλον η προτερον. Pietate enim Principis erga Deum mire Populi mores componuntur; qui quicquid agit non ratione tantum, quam illustrioribus agit exemplis incitatus. V. Cum Princeps sit publicus Reip. parens, miserabilium Personarum potissimam curam gerat, easque tueatur, ne in disperationem actæ, omnino pereant; vel ne omnino destitutæ publicis curis, pessimi Civitati alantur Cives, imo pestiferi. Apposite Plinius Paneg. in Trajan. edit. cit. pag. 322. *Pauperibus educandis una ratio est, bonus Princeps*. Paullo ante dixerat, tantum omnes uni Imperatori debere, quantum parentibus suis quisque deberet. Mox: *Recte Cæsar, quod spem Romani nominis sumptibus*

bus tuis suscipis. Nullum est enim magno Principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros. Non sunt hic prætereunda clarissimi Theodorici Italiæ Regis verba apud eumdem Cassiodorum : *Bene* (1), inquit, *Principalis clementia suscipit, quos pietas paterna destituit : quia sub parente publico, genitoris minime sentiri debet amissio.* Hinc enim Principes dicuntur esse nati Reip. bono ac Imperatorem ad salutem publicam genitum legimus. Quamobrem Paulus (2) *Reip. salutem tueri, nulli magis*, ait, *convenire, neque alium sufficere ei rei, quam Cæsarem.* Seneca autem Principes Regesque *status publici tutores* vocat (3). Ammianus vero Marcellinus a salute Principis, veluti filo, statum rerum orbis pendere scribit, nihilque esse præterea Imperium, quam æternæ salutis curam. Quamobrem Christiani veteres pro Magistratibus etiam Principibusque orabant Paganis (4). VI. Nulla

(1) Cassiodor. Var. Lib. IV. Tom. I. in fol. edit. Venet. 1729.
(2) L. 3 D. De offic. Præf. vigil.
(3) Sen. Lib. II. De Tranquil. Cap. VIII.
(4) Conf. Tertull. in Apolog. & Arnob. & Mamertin. in Genethliaco.

Nulla denique magis res firmabit Imperium, benevolentiamque subditorum conciliabit, quam si Princeps pro eorumdem merito, virtutisque studio, honores iis ac privilegia irroget. Quæ Cyrum Summa cum religione ac diligentia præstitisse Xenophon sæpe narrat, præcipue vero postremo Cyropediæ Libro; quem utinam unum Summi Principes perlegerent, ac in succum sanguinemque converterent! Quæ omnia, si unusquisque præstiterit Princeps, uti Cyrus Persa, qui permultos quidem homines, permultas Civitates, permultas Gentes sibi obsequentes habuit; tum vero ejusdem Xenophontis (1) verbis locus erit; quod *imperare hominibus neque in impossibilium sit neque difficilium factu numero, modo quis perite id agat*; ἢν τις ἐπισταμένως τοῦτο πράττῃ. Quæ postrema potissimum verba animo sibi Principes alte scribant, neque ullo umquam tempore eorum excidant memoria.

§. VI. Ne magis autem quam oporteat priori huic excrescat moles; expositam paulo superius Principis Jurium tractationem; altero prosequar libello. Satis modo sit

(1) **Xenoph. Cyrop. Lib. I. in princ. ejusd. Edit. in 8.**

ſit in Summæ Poteſtatis originem divinam hactenus vacaſſe. Equidem ſcio argumenti dignitatem ingenii mei vires tenuiſſimas potius occupaſſe; tantum abeſt, ut ab iiſdem aliquid ornamenti acceperit. Ea vero culpa ingenii ſit; haud voluntatis erga Principes obſequentiſsimæ. At excuſationes non minus, quam quærelæ, ne tum quidem gratæ, cum fortaſſe erunt neceſſariæ. Itaque, utcunque ſeſe res habeat; juvabit tamen & me quoque cum cæteris, Summæ Principum Poteſtati ac ſecuritati, adverſus impios Monarchomacos, pro virili conſuluiſſe. Cæterum nobilitate ac magnitudine eorum, qui idem illud argumentum tractarunt, me interea conſolor. Forte res ipſa, quæ profecto illuſtrior eſt, non opella, cui virtus venuſque ſcribentis culpa nulla eſt, nullumque pretium; nominis mihi nonnihil, cujus fama in obſcuro adhuc eſt, pariet celebritatis. Nihil enim præterea ſtudeo; nullumque jam inde a puero ſtudiis meis meditationibuſque ſcopum propoſui nobiliorem.

F I N I S.

S COM-

COMMENTARIOLUM

IN

L. un. C. si quis Imp. maledixerit,

IMPP.

Theodosius, Arcadius, & Honorius

A. A. A.

Rufino Pr. Pr.

***Si** quis modestiæ nescius & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere. Quoniam si ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti*

an exquiri debeant, censeamus. Dat. VI. Id. Aug. Constantinop. Theod. A. III. & Abundatio Coss.

§. I.



Am vero, cum probi ejusque ingenui viri sit stare promissis: quod superius antea promisimus præstare modo aggrediamur. Cum pro virili nempe hactenus parte ostenderimus, vel ostendere saltem superiori conati simus libello, Summam Potestatem, qua Principes fulgent, a D. O. M., tamquam a fonte rivulum, manare; eidem nunc porro sententiæ magis inhærentes confirmandæ, celeberrimam Imperatoris Theodosii constitutionem aggredimur commentari. Ipsam etenim apprime factam censemus, quæ expositam modo nostram magis firmet sententiam. At inquiramus modo in Constitutionis originem primam; quænam caussa, quive auctor constitutioni fuerit.

§. II. Sozomeno (1) auctore facile addu-

(1) Sozom. Hist. Ecclesiast. Lib. VII. Cap. XXV. p. 317. edit. Valesii Cantabrig. in Fol. Tom. II. simul cum Eusebio &c.

ducor, ut credam, Divum Ambrosium Mediolani Episcopum, sanctitate florentem, Imperatori primum Theodosio, hujusce Constitutionis, humanitatis clementiæque plenissimæ, sanctionem suasisse. Forte namque nescio quis non mediocris fortunæ vir, religione autem paganus, Gratianum conviciis laceraverat, illudque addiderat sane injuriosum, quod non patrissaret; & τȣ πατρος αναξιον απεκαλει, idem scribit Sozomenus. Continuo misellus hicce Majestatis accusatur; vocatusque in judicium capitis damnatur. Qui cum ad supplicium duceretur, Ambrosius pro illo intercessurus ad Aulam celeriter perrexit, neque prius ab incœpto destitit, neque Gratiani & Aulicorum ejus obsecrationibus cessit, quam extorta ab Imperatore indulgentia, qua ὁ επι θανατῳ αγομενος, *morti addictus*, liberaretur. Cujus voti compos jam factus, auctor postea Imperatori fuit, qui hanc legem ferret; qua cavit, ne quis aliquando ob linguæ lubricum invalitudinemque, atrociorem capitis sententiam subiret. Ea itaque caussa; hicce auctor constitutioni fuit (1).

(1) Hæc opinio Franc. Balduino ad LL. Majest. se

§. III. Neque vero hanc unam, suadente Ambrosio, humanissimam tulit Imperator Theodosius Constitutionem; verum quamplures etiam humanitatis ac benignitatis plenissimas. Inter quas eminet profecto illa, (quam idem memorat ibidem Sozomenus pag. 316.), qua XXX. dies, non X. tantummodo, uti Tiberius jusserat, a lata de vita hominis sententia, constituit expectandas, prius quam lictor eam exequeretur. Eo scilicet consilio, ut interjecti temporis spatium Imperatoris iram leniret, & imminuto jam furore, locus miserationi ac pœnitentiæ relinqueretur. Quæ Constitutio benignitatis plena, inter Divales etiam nunc extat, imo præfulget (1). Ne cui vero sit mirum, cur facillime Ambrosius hujusmodi humanissimas Constitutiones a Theodosio A. fuerit consecutus, sciat, tam humano fuisse Theodosium ingenio, mansuetoque animo ac leni, ut ple-

se etiam probavit. Qui tamen non bene sibi constat: alibi namque, *comment.* ad LL. Constant. Lib. 2. opinatur Anthiochenos ob cujusdam tributi novi indictionem tumultuantes, occasionem huic legi præbuisse.

(1) L. 20. De Pœnis.

plerumque Antonini Pii verba (1) protulerit: *Quam vellem etiam morte obitos postliminio ad vitam revocare!*

§. IV. Hæc autem tam humanarum Theodosii Constitutionum ratio, ab humanissimo Augusti ingenio petita, una profecto non est, quæ de hujusmodi tam eximia sanctione, quæ omnium animos in admirationem rapit, reddi queat. Præcipua quidem ratio, cur Theodosius Imp. iis, qui Imperatori maledixerint, eorumve famæ labem inferre veriti non fuerint, ignoscendum putarit, alia quidem, nisi fallor, est ab iis, quæ in ipsa Constitutione adducuntur (2). Ea vero ab altiori repetenda principio, quod cum nostra exposita hactenus sententia, congruat feliciter. Et re quidem ipsa, cum Principes sint Dei cuncta sospitantis in Terris effigies, ut cum Xiphilino alibi no-

(1) Ita scribit de Antonino Pio, in vita *Avidii Cassii Imp.* C. XI. Volcat. Gallic.

(2) Extat & alia ratio, quam apud Xiphilinum reddit Titus: *Nemo me injuria afficere vel insequi contumelia potest, propterea quod nihil ago, quod reprehendi mereatur. Ea vero, quæ falso de me dicuntur, prorsus negligo*. Eodem pacto Julianum Agamemnoni injurioso Poetæ ignovisse, testatur Libanius Ep. VI.

notavimus; Summamque Poteſtatem a Deo acceperint, *Joviſque ſint alumni, Joveque prognati, Deorum Sanguis*, uti eos Horatius appellat (1); neceſſe eſt eos, Divinam Majeſtatem in terris etiam æmulari, quæ ſumma nonniſi clementia, hominum genus moderatur ac regit; neque ſtatim hominum facinora punit; neque continuo rubente dextera Sacras jaculatur arces urbeſque, ut terreat Gentes eaſque perdat, earum ſcelera expiaturus. Quod ſi fieret, ſtatim deſerta Tellus hominibus, priſcam indueret faciem eamque luctuoſam; neque amplius quis eſſet, qui ſupplex aris honores imponeret. Quare Seneca (2) non debere, inquit, Principem omnes punire ſuorum temporum obtrectatores: *nam ſi omnes convitiatores ſupplicio afficeret, quibus imperaret, non haberet*.

§. V. Rectiſſime itaque putavit Theodoſius, neminem modeſtiæ neſcium pudoriſque ignarum, ſi improbo petulantique maledicto Principum nomina aliquando laceſſierit, pœnæ ſubjugari debere, durumque aliquid aſperumque ſuſtinere. Non

(1) Lib. IV. Od. I.
(2) Sen. Lib. I. De Clem.

Non enim censuit quidquam præterea æquare magis Principem Deo, quam Clementiam. Apposite Claudianus (1):

. . . *Sola Deos æquat Clementia nobis.*

Libanius vero: Οςις (2) εοικεναι βυλεται θεοις, αφιεις τιμοριας χαιρετω μαλλον η λαμβανων; *Qui cum vellet* (Theodosius nempe) *similis esse Diis, gaudebat magis dimittere, quam sumere pœnas.* Ad rem quoque facit quod alibi ex Juliano recitavimus. Principem vero ipsum, inquit, in (3) manibus gladium gerere ad cujusquam Civium perniciem non oportere, etiamsi extrema quæque perpetraverit, neque aculeum ullum in animis ejus hærere. Siquidem in Apum etiam genere Regi videmus aculeum a natura esse denegatum: οπυ και των μελιττον ορωμεν την βασιλευσαν κηθαραν υπο τ' φυσεως πληκτρυ γενομενην. αλλα υκ εις μελιττας βλεπτεον: *Nihil autem est, quod apes intueamur*; verum ipsummet potius Deorum Moderatorem ac

(1) Claud. Lib. IV. Consul. Honor. v. 277.
(2) Liban. Orat. ad Theodos. Conf. Philon. Jud. De off. Jud. Pag. 459.
(3) Jul. Orat. II. ex recens. Spanhem. pag. 89. & 90.

ac Regem, cujus interpetrem ac Ministrum æmulatoremque bonum esse Principem decet. Quamobrem bene Antoninus Pius: *Non enim quidquam* (1) *est, quod Imperatorem Romanum melius commendet Gentibus, quam clementia*: ipseque Justinianus (2); *Nihil tam peculiare est Imperialis Majestatis, quam humanitas, per quam solum, Dei servatur imitatio.* Quam eximiam ac prope divinam virtutem, Principumque maxime propriam, humanitatem nempe atque Clementiam, id propterea ipsi Romani Imperatores ubique (3) Codicis in semetipsis perpetuo commendarunt.

§. VI. Ex qua Theodosii humanissima Constitutione recte quis deducet, Principes procul dubio per Clementiam humanitatemque ipsi Deo æquiparari, a quo Summam consequuntur Potestatem: male autem inde quispiam inferet, scelera [illegible] in

(1) Volcat. Gallic. in Avid. Cass. Cap. XI.
(2) L. fin. Cod. De Donat. inter vir. & uxor.
(3) Vid. L. 29. 34. C. De Apellat. L. 3. C. De quadr. præscript. L. 15. & 16. C. De oper. Publ. L. un. C. De Cad. toll. L. 7. & 5. C. De Bonis quæ lib. L. 5. C. De Legat. L. 13. C. De susceptor. præp. & arcariis. &c.

in Principem admissa perpetuo esse remittenda; nec maledicta in Principem, *Majestatis crimina* umquam censeri. Explorati namque Juris est non solum Romani, verum omnium etiam Gentium, Majestatis crimen, ut Pauli verbis utar (1), *non solum facto, sed verbis impiis & maledictis maxime exacerbari*. Quare Deus olim jussit (2): *Principi populi tui non maledices*; ubi aliquid præcipi speciale, Summarum præcipue Potestatum facta mentione, Grotius putat. Unde Nicephoras Gregoras (3): Ο παλαιος νομος διαγορευει, και ο μεγας Αποστολος Παυλος, οτι τε αρχοντα τε λαε σε εκ ερεις κακως. Και, οτι τ Βασιλεα τιματε. *Antiqua lex jubet & magnus Apostolus Paulus, ut ne Principi populi tui maledicas; itemque, Regem honorate*. Itaque Zaleucus quoque edixit, αιδεισθαι χρη τες αρχοντας, uti alibi dictum est. Charondas tandem suis in legibus scivit, uti Cicero testatur (4) debere subditos non obedire tantum Principibus, sed

(1) Paul. sentent. Lib. 5. tit. 29. ad L. Jul. Majest.
(2) Exod. cap. 22.
(3) Histor. Rom. Lib. IX. p. 184.
(4) Lib. III. De Leg. Cap. II.

ſed etiam eos colere ac diligere: qui cultus præſertim verbis exhibetur; cujus enim perfectione ac felicitate delectamur, eum quoque verbis celebremus oportet.

§. VII. Jam vero, ut quomodo ſeſe primum Romæ res ipſa habuerit, Rom. Antiquitatum amatoribus notum fiat: libera quidem Republica, maledicta in Magiſtratum jaculata, ad præſcriptum XII. Tabularum (1) vel Legis Corneliæ de injuriis, vindicabantur. In legibus autem Decemviralibus Tab. VII. *de delictis* cavetur. *Si qui pipulo ocentaſit, carmenve condiſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuſte ferito*. Poſtquam vero Romanorum libertas ruit, translato in unius dominationem Imperio, Majeſtatis tenebantur, quicunque Imperatoribus per ſummum nefas audaciamque maledixerint, malumve adverſus eos ſcripſerint carmen, quod ex Paulo conſtat. Accedit ad hæc, quod cum Imperatoria Majeſtate nihil ſanctius aut venerabilius inter mortales hiſce temporibus haberetur (2), utpote quæ in Terris

(1) Conf. Cicer. De LL. Lib. III. Cap. III. & Tab. VII. XII. Tabul. apud Otton. Theſaur. Tom. III. & apud Gravin. De Orig. Jur. Civ. &c.

(2) L. 12. C. De Leg.

ris Dei vices fungatur (1): Sacrilegio proximum læsæ Majestatis crimen habitum est, sive factis sive verbis admissum (2). Ac non secus, qui in Deum blasphemus est, mortis (3) damnatur; ita qui Imperatori maledixerit. Hinc Arnobius (4). *Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris Regibus secus obmurmuraverint.* Ipsa autem vetus Historia quamplura suppeditat exempla, quibus luce clarius patet, Principes non facinora tantum, verum maledicta etiam gravioribus pœnis vindicasse. Faciunt hic, quæ Jo: Chrysost. dicit in Orat. περι σιωπης.

§. VIII. Quod ad Rem Romanam vero pertinet, operæ pretium esse censeo, paucis hic etiam observare, Imperatores Romanos, minime illud Jus sibi statim ab oppressa publica libertate, at sensim adrogasse: ita ut nonnisi vergente ad occasum Imperio, atrociores in eos statuerint pœnas, qui improbis maledictis ac petulantibus, Principum nomina lacessiverint. Augustus sane per omnia Summa Potesta-

(1) Sen. Lib. I. De Clem. Cap. I.
(2) L. 1. D. ad L. Jul. Majest.
(3) Levit. cap. 24. & Novel. 77. §. 1.
(4) Lib. IV. adv. Gent.

ſtate non abutebatur: præſertim vero in hac ſpecie, in qua verſamur, ſi quid ore tenus in contumeliam ejus proferretur, numquam in quemquam durius animadvertiſſe, novimus. Quamobrem Seneca (1): *Sub Divo Auguſto nondum hominibus verba ſua periculoſa erant, jam moleſta. Facta arguebantur*, Tacitus (2) inquit, *dicta impune erant.* Quæ licet Tiberio diſplicerent, ac maledicta non minus quam facta atrociter vindicaret; opportune Tiberio conquerenti, quod quamplures male de illo opinarentur, hiſce verbis Auguſtus reſcripſit: *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere & nimium indignari, quemquam eſſe, qui de me male loquatur. Satis eſt enim, ſi hoc habemus, ne quis nobis maleſacere poſſit* (3). Quamobrem idem Auguſtus Apulejam Variliam ſororis ſuæ neptem, eo quod probroſis ſermonibus ipſum D. Auguſtum ac Tiberium matremque ejus inluſerit; noluit eo nomine majeſtatis teneri, liberavitque Apu-

(1) Lib. III. De Ben. cap. 27.
(2) Lib. I. Annal. Cap. 72.
(3) Tacit. Lib. I. Cap. 72. & Sveton. Lib. II. Cap. 51. Conf. *La Diſſertat. de M. Bayle ſur les Libelles Diffamatoires, a l'occaſion d'un paſſage de Tacite &c. dans le Dictionaire Tom. Quatriem.*

Apulejam crimine majestatis : quod ex Tacito etiam constat (1). Hinc Svetonii non minus (2) quam ejusdem Taciti verba lucem arcessunt : quorum ille Tiberium Cæsarem inducit, convitia adversus se & famosa de se ac suis carmina contemnentem ; *quod in Civitate libera, liberæ linguæ mentesque liberæ esse debeant* ; hic vero ex persona Æmilii Probi ; *rara temporum felicitas, ubi sentire quæ velis, & quæ sentis, dicere possis.*

§. IX. Repetam hic, quod superius modo dicebam, non recte quemquam hinc, vel ex allata Theodosii Constitutione, inferre, maledicta adversus Principem impune futura ; adeoque posse quempiam sanctissimæ Principum famæ, flagitium pro lubidine inferre. Quæ, inquam, nemo inde sanus inferet. Ipsi namque Divi Imperatores, cum pro sui animi magnitudine, noluerunt aliquem Imperialis nominis conviciatorem pœnæ subjugari ; recte statuerunt tamen, cum exempli scilicet necessitas id postularet (3), debere pensare Principem ex hominum per-

(1) Tacit. Lib. II. Annal. Cap. 50.
(2) Svet. de eod. cap. 28. & Tacit. Histor. Lib. I. Cap. I.
(3) Anton. Perez. Prælect. in lib. 9. C. §. 7.

personis, utrum dicta permitti aut exquiri debeant (1). Alioquin *salutaris rigor, vincit aliquando inanem speciem clementiæ*, ut Tullius (2) inquit. Est itaque in Clementia quoque modus adhibendus. Non enim recte Summa Principis benignitas obtrectatorum audaciam foveat; quorum, si ita loqui fas est, magna est ubique natio: neque enim ipsis ansa præbenda est magis magisque conviciandi, cum impune se tantum crimen admittere senserint. Itaque puto Clementiam debere aliquando Juris duritiem temperare, non ipsum Jus inludere. Apposite de Theodosio, Arcadio & Honorio, scribit Q. Aur. Symmachus, eos *juris duritiem pro clementia sua decretis moderatioribus temperasse*.

§. X. Non ingratum tandem fore legentibus puto, auctores hîc per transennam adnotare, qui humanissimæ hujusce Constitutionis faciunt mentionem, eamque veluti commentantur. Hi vero sunt. Zonaras & Theod. Balsamon, *in Canones Apostolorum & Nomocan. Photii*. Harme-

(1) Conf. verba fin. d. L. un. C. si quis Imp. maled.

(2) Apud Marcell. Lib. 29. Cap. 27.

menopulus Lib. 7. tit. 14. Michael Attaliata in *Synopsi Juris* ad Michael. Ducam & Imp. Tit. *69.* Matthias Blaſtaras Archimonachus in *Collectaneis*, quæ ms. extant in Biblioth. Reg. Gall. Nihil autem præterea ſuperaddam, ut Conſtitutionis ipſius verba, quæ per ſe clara ſunt, intelligantur, iis, quæ pluribus commentatur Frid. Lindembrog. Com. in L. un. C. *Si quis Imp. maled.* Qui Commentarius extat apud Everard. Ottonem Theſaur. Jur. Rom. Tom. IV. Hunc, ſi lubet, Lector benevolus conſulat: mihi vero ſatis modo ſit, paucis hanc veluti legem commentando, ſententiam meam de Summa Principum Poteſtate a Deo derivanda, confirmaſſe. Verba nunc ipſius legis haud moror.

FINIS.

DE REGUM JURIBUS

A P U D

LACEDÆMONIOS ET ATHENIENSES.

DISSERTATIO

Q U A

Herodotus illustrantur & Thucidides.

§. I.



Uce clarius ostendisse superiori me arbitror libello, Regiæ Potestatis originem progressumque vere esse divinum, Deumque ipsum Reges jubere per Populum; qui profecto cum non sit caussa omnino bruta ac necessaria, quæ seipsam *modificare* nequeat, ut cum Scholis loquar, potest aliquo etiam pacto Summam ipsam afficere Potestatem. Dehinc porro confecimus, eum, qui Re-

gem dicit, illud intelligere proprium Regiæ Potestatis subjectum, cui suprema est in Regno potestas ac ανυπευθυνη, nullique præterea, quam Deo, obnoxia; cui adeo soli suorum actuum reddere cogitur rationem. Quamobrem Regem eum esse pluribus supra adductis rationibus asseruimus, qui legibus est solutus; cui quod lubet, licet; qui leges fert, non accipit; qui omnes judicat, ipse autem a nemine judicatur. Quæ Regiæ Potestatis jura ac δικαιωματα omnes omnino Gentes, quibus regius placuit dominatus, Regibus suis æquo olim animo tribuisse, jamdudum clarissimus monstravit Cl. Salmasius (1). Ita quidem Assyrios, Medos, Persas, Judæos, Græcos, Romanos, Christianos demum sensisse ex iis, quæ superius eodem sparsim notavimus libello, quispiam facile colliget. Regem itaque Israelitæ hisce verbis a Deo per Samuelem petiisse constat: *Constitue supra nos Regem ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes*. Quare in Eccles. (2) ita Rex

(1) Salmas. Def. Reg. Cap. II. pag. 23.
(2) Eccles. Cap. VIII.

Rex ſapientia, quam a Deo infuſam acceperat, clariſſimus, Regis hæc δικαιώματα exponit. *Ergo os Regis obſerva & præcepta juramenti Dei. Ne feſtines recedere a facie ejus, neque permaneas ab opere malo, quia omne quod voluerit, faciet, nec dicere ei quiſquam poteſt, quare ita facis?* Ex conſenſu ergo patet omnium Gentium, Reges, ſummo plenoque jure ſubjectis ſibi populis perpetuo imperaſſe, Poteſtateque immoderata nec circumſcripta. Quare Virgilius;

. . . . Regem non ſic Ægyptus & ingens
Lydia nec populi Parthorum & Medus
Hydaſpes
Obſervant . . . .

Quam antiquiſſimam omnium Gentium, eamque mire conſentientem opinionem de Regum ſuorum plena Summaque Poteſtate, a jure Gentium, vel potius jure ipſo Naturali ortum traxiſſe, quis perfricta fronte negaverit?

§. II. Quæ cum ita ſint, facile omnes, quibus nota ſunt, quæ de Regibus Athenienſibus Lacedæmonibuſque fida antiquarum rerum cuſtos ſervavit hiſtoria, intelli-

gent, hujusmodi Reges haud plena liberrimaque rerum omnium potestate, Rempublicam administrasse, adeoque vere Reges non fuisse. Profecto Lycurgus, qui Reges primum instituit, noluit Regibus Spartanis παμβασιλειαν tribuere, ne duo inde maxima certe incommoda Rei crearentur publicæ, Tyrannis nempe a Regibus, invidia autem a Populo. Quare Xenophon noluisse testatur (1) Lycurgum, neque Regibus tyrannicum fastum adsciscere, neque Civibus invidiam adversus Summam Potestatem injicere. Procul autem omni dubio horum Regum Potestas & legibus finiebatur, quas idem ab initio tulit Legislator longe sapientissimus. Itaque Aristoteles (2) recte scripsit, Regnum in Laconum Republica maxime obtinuisse secundum Leges, μαλιστα των κατα νομον: Xenophon autem (3) auctor est eodem Libro, Lacedæmonios, ne Re-

ges

(1) Lib. De Rep. Lacedæm.

(2) Lib. III. Politic. Cap. IV.

(3) Lib. De Rep. Lacædem. Hinc quoque patet, Ephoros vicissim quotis mensibus jurato Regibus promisisse, se Regnum iis leges servantibus conservaturos. Meminit mutui hujusce sacramenti Nicolaus *De moribus Gentium* apud Stobæum.

ges hocce institutum violarent umquam, quotis mensibus sollemne a Regibus Sacramentum exegisse; quo jurabant palam, coramque Ephoris, Regnum se secundum leges administraturos.

§. III. Quam sententiam de moderata ac circumscripta Regum apud Lacædemonios Potestate, duobus maxime perspicuis argumentis confirmabo, quæ a Senatus atque Ephororum institutione deducuntur. Utraque paucis exponam. Auctor est Plutarchus (1) amplissimum Senatorum ordinem, id propterea (2) Lycurgum instituisse, ut hinc Regum obsisteret Tyrannidi, illinc Plebis dominationi factioni-

 buf-

(1) Plut. in *Lycurgo*.

(2) Senatus dicebatur Lacedæmoniis peculiari nomine γερουσια. Luculenter id præ aliis testatur Pausanias in *Laconicis*: Η μεν δη, inquit, γερουσια συνεδριον Λακεδαιμονιοις κυριωτατον τῆς πολιτειας; idest, *Gerusia Lacedæm. est consessus penes quem præcipua est Reip auctoritas vel supremus Reip. consessus*. Apud Hesychium γερωα dicitur etiam συνημα γεροντων: γεροντες autem ipsi Senatores. Patet nominis ratio; quæ eadem omnino est ac in latino sermone. Rem Tullii verbis exponamus, qui Lib. De *Senectute* utrumque nomen Latinum & Græcum comparavit, dein porro confecit: *Consilium ratio & sententia nisi esset in senibus, non summum consilium majores nostri Senatum appellassent*.

busque, ut ita æqua lance libratis publicis rebus, a neutra parte Respublica misceretur. Quamobrem eleganter Plato (1) Regum *tumido Imperio* conjunctam fuisse scribit σωφρονα δυναμιν, *moderatam* senum *potentiam*. Erat itaque *Senatus* apud Spartiatas, ordo quasi intermedius inter Reges & Populum, quos ita utrinque coërcebat, ut Respublica bene sibi constaret, nec solveretur umquam. Quorum Senatorum auctoritatem Demosthenes respexit, cum eos κυριους & δεσποτας της πολιτειας, *civitatis dominos* appellavit (2): itemque Polybius (3), cum δι ων κ̧ μετα ων παντα τα κατα την πολιτειαν χειριζεται, *per ipsos & cum ipsis omnia circa civitatem administrari*, memoriæ prodidit. Imo nec ullus dubitandi relinquitur locus, Senatores ante Ephoros institutos, Rempubl. fere totam liberrime administrasse (4). Aristoteles quidem testatur (5) Lacedæmones Senatores ανυπευθυνους, a reddendis nimi-

(1) Plat. Lib. III. de Legib.
(2) Demonst. adv. *Leptinem*.
(3) Polyb. Lib. VI.
(4) Conf. Plutarc. in *Agide & Cleomene*.
(5) Politic. II.

mirum rationibus *immunes* fuiſſe. Quod ſapienter ille primum carpit; mox, quæ ſentit, hiſce aperit verbis: Διοπερ σελτιον αυτοις μη ανυπευθυνους ειναι: νυν δ' εισι: *quare præſtaret, minime reddendarum rationum immunes eſſe: nunc autem ſunt.* Ex quibus colligitur, Regum apud Lacedæmonios Poteſtatem Summam non fuiſſe, nec infinitam.

§. IV. Cum Senatorum præ Regibus Lacedæmone Poteſtas Summa evaſiſſet ac immoderata; opportune *Ephoros* Lacedæmones juſſerunt, quibus Publica libertas maximæ eſſet curæ. Quem Magiſtratum εφορους εκαλουν, appoſite inquit Suidas, δια το εφοραν τα της πολεως πραγματα; *Ephoros appellarunt, quod Reip. negotia inſpicerent* (1). Ephoros Lycurgum etiam inſtituiſſe ferunt. Herodotus namque (2), præter cætera id quoque Lycurgum in conformanda ſua Rep. præſtitiſſe, ſcripſit. Non ea vero tantum Ephoris provincia demanda-ta

(1) Suid. in Lexico. Hinc εφορευειν απο των εν Σπαρτη εφορων; *Inſpicere, ab Ephoris* vel inſpectoribus (lingua Romana *Cenſoribus*) *Spartæ*, inquit Heſychius.

(2) Lib. I. Hiſtor.

ta, ut Reip. inspicerent negotia; verum id sibi etiam dare debebant negotii, ut freni instar Regum jam luxuriantem potentiam coërcerent. Quæ Platonis (1) ac Plutarci luculentissima sententia est. Quamobrem recte Cicero scripsit (2) ita Regibus oppositos Ephoros fuisse, uti Consulibus Tribuni.

§.V. Hinc I. Reges apud Laconas ad obedientiam omnium Legum diligentius, quam pri-

(1) Plat. Lib. III. De Legib. & Plutar. in Vita *Licurgi*.

(2) Cic. De Leg. Lib. III. Valerius Maximus, qui una cum pluribus, Aristotele præsertim, Ephoros putavit a Regibus institutos, eamdem Ephorum institutioni caussam præstituit. Quod ex memorabili deducitur Theopompi Regis facto, quod idem Auctor. Lib. IV. *Dictorum & Factor. Memorabil* enarrat Aristoteles autem Lib. V. Politic. Cap. XI *Theopompo*, inquit Val. Max. *Spartanorum Regi moderationis testimonium reddamus. Nam cum primus instituisset ut Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri Regiæ Potestati oppositi, quemadmodum Romæ Consulari Imperio Tribuni Plebis sunt objecti: atqui illi uxor dixisset, id egisse illum, ut filiis minorem potestatem relinqueret; relinquam, inquit, sed diuturniorem. Optime quidem. Ea enim tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit.* Extat etiam hæc historia apud Plutarchum in eo Libello, qui inscribitur, *In Principe requiri doctrinam*.

privati erudiebantur : nihil enim iis indulgebatur, si delinqueret umquam. Quod plane nos docet disertissimus Orator Isocrates. Suadet enim æmulari ac imitari Lacedæmoniorum Reges hac de caussa : Εκεινοις γαρ αδικειν μεν ηττον εξεςιν, η τοις ιδιωταις : *Illis enim*, Regibus nempe, *minus delinquere licet, quam privatis*. Hinc II. legitur apud Plutarchum (1), Archidamum Regem ab Ephoris pecunia mulctatum, quod uxorem pusillam duxerat, hanc rationem reddentibus; quod tali uxore non Reges, sed Regunculos gigneret. Hinc III. Reges apud Laconas extra bellum, Summam Potestatem cum Imperii *plenitudine* non habebant : poterant enim ab Ephoris in carcerem conjici (2). Ita Pausanias ab Ephoris in carcerem est conjectus : Ephoris enim Regem ita tractare licet; εξεςι δε τοις Εφοροις τ̈ βασιλεα δρασαι τ̈το, ibidem inquit gravissimus auctor Thucidides (3). Patet autem ex eodem Thu-

(1) Plut. in Vit. Agesil. Idemque Lib. qui inscribitur περι παιδων αγωγης, *De liberorum Educatione*.

(2) Conf. Thucid. Hist. Lib. I. p. 84. §. 131. Tom. I. in fol. edit. Ducher.

(3) Conf. Nep. in Vita Paus. §. III.

Thucid. (1) Reges in bello apud Lacedæmonios Summam habuisse Potestatem: βασιλεως γαρ αγοντ☉, υπ' εκεινυ παντα αρχετη, κ, τοις μεν πολεμαρχοις αυτος φραζει το δεον: *Quum enim Rex exercitum ducit, omnia ab illo reguntur, & ipse quidem Polemarchis indicat ea, quæ sunt facienda*: Quamobrem solis Regibus licebat bello inducias dare. Itaque apud Plinium scriptum invenio (2), Regem Lysandrum, obsidentibus Athenarum mœnia Lacedæmoniis, cum Sophocles tragici cothurni facile princeps supremum diem obiisset, pacem funeri dedisse; sive ut Solinus teste Harduino scribit, *inducias bello dedisse, usque dum congruæ supremis talibus exsequiæ ducerentur*. Ex quibus deducitur quam vere Herodotus (3) scripserit, alia fuisse εμπολεμια, alia ειρηναῖα, quæ Regibus Lacones tribuerunt. Profecto Regum potestas, etsi perpetuo Reip. subesset, Senatoribus etiam, atque Ephoris; militiæ ta-

(1) Hist. Lib. V. §. *66.* pag. 457. cit. edit. in fol.
(2) Plin. Lib. VII. Hist. Nat. §. XXX. edit. in fol. Io. Harduin. Paris. an. 1741.
(3) Hist. Lib. VI.

tamen liberior erat (1) & amplior, domi autem anguſtioribus circumſcripta cancellis. Age autem omnia ſingillatim eorum jura percenſeamus.

§. VI. Ad Regiam Poteſtatem domi præcipue pertinuit, I. Cura Sacrorum; quorum omnium, teſte Ariſtotele, arbiter erat & moderator Rex. Itaque Herodotus omnia quæ ad Deorum cultum pertinerent, Regibus Lacedæmonios commiſiſſe ſcribit. Regum erant, inquit ille, duo Sacerdotia, Jovis nempe Lacedæmonis, Joviſque cœleſtis (2). Quamobrem ſingulis Neomeniis, ſeu Kalendis, & ſeptimo quoque die menſis ineuntis, victimam perfectam, quæ ex publico dabatur, Jovi utrique in æde Apollinis Reges immolaſſe, cum farinæ medimno & vini Laconico quartario, idem teſtatur Herodótus. Xenophon autem addit, quod Reges omnia ſacrificia pro ſalute Reip. ſuſcepta Diis obtulerint; quod Diis oriundi, Deos facilius placarent. Quamplura etiam ſacrificia

(1) Hinc militiæ centum delecti viri perpetuo Regibus cuſtodes aderant. Conf. Herod. Cap. a lıbi add.

(2) Jamdudum clariſſ. Meurſius obſervavit apud unum Herodotum, *Jovem* hunc *Lacedæmonem* legi. Conf. Valckenarium ad Herod. edit. in fol. Amſtelod. 1763.

ficia belli caussa a solis Regibus offerri Diis solebant. Cum Reges autem præcipue Sacerdotium curarent; hinc fiebat, ut Jus Regibus esset per se quosdam Magistratus & Sacerdotes creandi. Hujusmodi fuerunt *Proxeni* & *Pythii*; quorum munia clare Sigonius exponit, & Cragius.

§. VII. Neque ad Reges solum Lacedæmonios Sacrorum cura pertinuit; verum apud Athenienses quoque ac Romanos Regi Sacrificulo maximæ sacra curæ fuerunt. Omnis quidem Atheniensium Religio tribus potissimum in rebus posita Sigonio (1) videtur, in *Sacrificiis* nempe, in *Pompis*, & in *Ludis*. *Sacrificia*, quæ illi θυσίας dixerunt, sollemnis cum victimarum oblatione, votorum pro Rep. susceptio fuit; eorumque alia *patria*, alia ἐπίθετα, sive *ascititia* fuere. *Pompas* dixerunt ornatam virorum mulierumque turbam, quam cum rebus ad Sacra pertinentibus ad Mysteria in *Eleusinem* & *Dionysia* & *Panathenæa*, longo comitatus agmine cum magna cærimonia mittebant. *Ludi* tandem, quos

(1) Carol. Sigon. Lib. 4. De Rep. Ath. Cap. 7. apud Gronov. antiq. Græc. Tom. V. Conf. Jo: Meurs. *Eleusinia* apud Gron. Tom. VII.

quos illi *αγωνας* appellarunt, publica fuere spectacula in Deorum honorem edita magnisque sumptibus apparata. Quorum alii *Scenici*, sive *musici* ac *Dyonisiaci* dicti; alii vero *Gymnici*, qui in curriculo per athletas committebantur. Quæ omnia non iidem homines Sacerdotesque procurarunt. Rex namque, quod ex Pollucis atque Harpocrationis monumentis constat, *Mysteria Lenæa*, & *Ludos*, qui in *Lampade* dicti sunt, nempe *Panathenæa*, *Hephestia*, & *Promethea*, insuper sacra *Patria* procuravit (1). Hinc Sacerdotibus omnibus jus dicebat; ad Mysteria vero Curatores a Populo creatos, duo ex Eumolpidis, unum ex Cerycibus adsci-

(1) Tria procul dubio, ubi semper lampadis usus erat, festa Athenienses habuere, αθηναια, ηφαιςεια, προμηθεια, Minervæ, Vulcano, Prometheo. Suidas ait, *Istrum scriptum reliquisse quod cum Athenienses Sacra Vulcano facerent, lampadem excogitaverint, ob cujus rei memoriam perpetuos illi ludos, in quibus usus semper esset Lampadis &c.* Gratiam autem quò referrent prudentissimæ artium inventrici Palladi, itemque Prometheo primo etiam multarum artium inter homines propagatori; sanxere ut pariter in Minervæ ac Promethei Sacris, eadem *lampade* Posteri uterentur. Conf. Polluc. in *Onom.* & Meursium in *Græcia Feriata*.

ſciſcebat. Regina item uxor ejus quibuſdam arcanis operam dabat; quod teſtatur Demoſthenes (1).

§. VII. Apud Romanos etiam exactis Regibus, qui ſacra a ſolis Regibus conſueta perageret, Sacrorum Rex appellabatur. Omnibus autem ille Sacris præerat, & nulli cedebat præterquam Pontifici Maximo, poſt quem in ſacris Epulis accumbebat. *Regem Sacrificulum* inquit Livius (2), *creant: id Sacerdotium Pontifici ſubjecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* Id autem propterea Regio nomine decorarunt, ut par ei ineſſet in eo munere obeundo auctoritas. Aliam hujuſce nominis minime aſpernandam rationem reddit Dionyſ. Halicarnaſ. (3) Quoniam Reges multorum magnorumque bonorum Reip. auctores extitiſſe credebantur, propterea, ut quantiſper urbs ſtaret, Regii Imperii no-

(1) Leg. Orat. Contra *Neæram*.
(2) Lib. II. Conf. Harduin. ad Plin. Hiſt. Nat. Lib. XI. §. 71.
(3) Antiq. Roman, Lib. V. pag. 278. edit. in fol. Lipſ. 1691.

nomen conservaretur, jusserunt Pontifices & Augures designare unum e Senioribus quam maxime idoneum, qui praeter cultus divini curam nulli alii praeesset muneri. Is autem ab omnibus militaribus & civilibus muneribus immunis *Sacrorum Rex*, ιερων Βασιλευς κηλεμενος, appellatus fuit. Primus, qui hunc honorem Romae accepit, fuit Manius Papirius vir patricius, εκ των πατρικων ανηρ ησυχιας φιλος, quietis amantissimus (3).

§. VII. Redeo jam nunc ad Jura Regum Lacedaemonum. Cum, ante Ephoros praesertim institutos, Rex esset summus Reip. Magistratus; Jus Regis erat novas sancire leges (si quid novi sanciendum) veteribusque derogare. Praeterea quarumdam caussarum judicia, praecipue quae ad Sacra spectarent, ad Regem solummodo pertinebant. Itaque Reges de

V pro-

(3) Conf. Alex. ab Alex. Lib. III. Genial. Dier. Tom. I. in 8. pag. 846. Regis Sacrorum Meminit Tullius in Orat. De Arusp. Resp. & pro Dom. Sua. Item Plinius Hist. Nat. lib. XI. §. 71. *L. Postumio Albino*, *Rege Sacrorum*, inquit, *cor in extis Aruspices inspicere*, caepisse. Gellius etiam Noct. Attic. Lib. X. Cap. XV. Regem hunc sacrificulum memorat; aliique passim.

Proxenis & Pythiis judicabant. Ad eos etiam pertinuit de Virgine judicare, ad quam tota hereditas devenisset, præsertim si Pater eam nondum desponderat. De viis publicis iidem cognoscebant, necnon de adoptionibus; si quis adoptivus filius fieri vellet. Reges tandem vaticinia custodiebant. Reges Athenis quoque de cæde caussas, quas ex præcognitione aut ex occasione rei obvii, præoccupare poterant, in Senatum Ariopagiticum inducere solebant. Ubi vero reos ante Tribunal stitissent, deposita corona ipsis cum Ariopagitis assidebant, sententiam pro ratione criminis primum dicturi. Tum vero rerum incorporalium caussas, verbi gratia de damno ab obice in via publica dato; de ruina ex tigno communi, maceriis, ædibus ruinam minantibus, & hujusmodi, audire solebant, ac deinde quis earum nomine teneretur, judicio declarare. Regum item apud Laconas Jus erat; Legatos sive hostium sive amicorum audire, iisdem respondere, postea dimittere (1). Hæc vero omnia domi:

(1) Conf. Xenoph. De Rep. Laced.

mi: militiæ vero Summa Regibus erat potestas plenumque Imperium, uti ex Thucid. supra notavimus. Itaque non solum Regis potissimum auctoritas in bello incœptando intercedebat; verum etiam cœptum ejus prorsus consilio gerebatur.

§. IX. Venio nunc ad honores, quibus Reges adhuc viventes prosequebantur Lacedæmonii. Iterum ajo Reges militiæ augustiores fuisse, quam domi; honores nempe domi tenues, militiæ autem magis effusi. Conf. Xenoph. Quod Reip. maxime congruebat, in qua Summa Potestas penes Populum. In plerisque autem Regibus honos habebatur præ privatis. I. Omnia, quæ publice facienda essent, a Rege auspicabantur. Bono se enim omine a Regibus omnia auspicari censebant; eo quod Reges tamquam Summi Sacerdotes auspicia moderabantur. II. Proëdria, sive supremus consessus, uti constat ex Herod. lib. VI. tum in libationibus cum in certaminibus, Regibus semper honoris caussa cedebatur. III. Regibus omnes, exceptis Ephoris, quorum munus id non ferebat, quocumque in cœtu assurgebant. IV. Regibus etiam publicis impensis propriæ Regiæ sive Domus, ubi per-

 pe-

petuo ad illud honoris fastigium evecti habitarent, erant jam inde a primis temporibus destinatæ (1) V. Non solum autem Regia in qua habitarent, verum publicum iis constitutum erat Tabernaculum, ubi seorsim cum suis cibum caperent. Itaque scribit Herodotus, si Reges ad cœnam non venirent, ἀλφίτων δύο χοίνικας ἑκατέρῳ καὶ οἴνου κοτύλην, idest, *binos farinæ chœnicas utrique ac vini Sextarium*, domum mitti (2). VI. Illud etiam Regibus, sive publice cibum sumentibus, sive ad privatorum convivia invitatis, honoris ma-

(1) Conf. Xenoph. De Rep. Lacedæm. Qui mos obtinuit etiam Romæ. Regia namque proprie dicta Pontificum erat in *Sacra Via* non procul a Vesta. Bene autem observat clarissimus Gronovius (*) post exactos Reges, Reges quoque Sacrorum, qui regio in sacris officio fungebantur juxta Vestam habitasse: quas Ædes postea Vestalibus donasse Augustum, tradit Dion Lib. LIV. Vid. Fest. in Voc. *Sacram viam*. Neque Regia tantum Romæ Regi destinata Sacrificulo, verum plura etiam *Sacraria* Sacerdotibus Collinis, Saliis & Palatinis. Quod innuisse mihi videtur Gellius.

(*) Gronov. ad Gellii Lib. IV. Noct. Atticar. Cap. V. verba illa; *in Sacrario, in Regia hastas Martias movisse*.

(2) De Chœnice ac Sextario vide adnot. ad Cap. XIII. §. VIII.

maxime dabant Lacedæmones; quod duplo plus Regibus offerrent in cœna, quam aliis. Quamobrem idem ſcribit Herodotus; παρεωσι διπλασια παντα διδοθαι, Regibus nempe *præſentibus omnia duplicia dari*: non quod ipſi duplum vorarent, inquit Xenophon; ſed ut inde aliquem honorarent, ſi ita ipſis videretur. VII. Libaminum quoque primitias oviumque immolatarum pelles Regum fuiſſe, idem enarrat Herodotus eodem loco. VIII. Xenophon vero auctor eſt, Lycurgum præter cætera Regibus permiſiſſe, ut ſingulis ſcrophis parturientibus ſingulos capere poſſent porcellos, ne ſacrificia Regii muneris impedirentur umquam.

§. X. Hæc viventibus decora Regibus Spartiatæ tribuerunt. Paucis nunc quos honores mortuis præſtarunt, percenſeamus. I. Reges poſt mortem, Xenophon inquit, tamquam Heroas veneratione ſumma ſummoque obſequio Lacones proſequebantur. II. Mors Regis ita enunciabatur, ut Equites per univerſam Laconicam miſſi, Regem diem ſupremum obiiſſe vulgarent. At præſtat Alexandri ab Alex. verbis Regium funus exſequiarumque pompam explica-

re

re (1). *Apud Spartanos*, inquit ille, *erat constitutum, ut Rege defuncto, Equites obitum Regis enunciantes cursitent, fœminæque crinibus passis & libero conquestu, tinnitu ollas pulsent æneas, quibus nec nocte nec die quies. Tunc audito Regis obitu, in omnem formam luctus concedi permissum erat; mulieresque proxima affinitate, in veste candida & capite aperto, ritu Romano ejulantes, funus celebrare.* Addit Herodotus Laconas de more majorum Regis mortem ita quidem honestasse, ut exclamare non dubitarent, ultimum Regem jam mortuum omnium fuisse optimum. III. Quod si bello Rex obiisset, ejus simulacrum conformabant ac in toro efferebant bene strato. IV. Quo tempore autem Regis funus fiebat decem dierum justitium indicebant; qui dies erant omnes nefasti. Itemque (2) mortuo Rege tribus diebus nihil vendi poterat; forum vero paleis sternebatur. V. Sacer item locus Religiosusque fuit La-

(1) Lib. III. Gen. Dier. Cap. VII. Tom. I. Pag. 618.
(2) Conf. Heraclid. *De Politiis*; & Cragium Lib. II. De Rep. Lacedæm. Cap. II.

Lacedæmone peculiaris, in quo Reges (1) sepelirentur . Quo defuncti autem Regis memoria perennaret, illud honoris ei post humationem successor tribuebat, ut quemvis Spartiatarum Regi vel Reip. debito obstrictum, ære alieno redimeret.

§. XI. Maximam hinc puto lucem capiunt verba Herodoti, quæ extant lib. VI. Cap. 56. quæque a nobis alio in loco ex parte descripta sunt (2): Verba item Thucidid. qua extant §. V. hujusce Dissertat. Quæ monuisse oportuit, ne indoctiores ista apud Thucididem perlegentes, aliquid sibi illis exemplis adversus Sanctas Regum, qui pleno jure regnant, personas, permitterent umquam. Ad illa nunc acriter animum intenderem de Regibus Laconum ex instituto scribens: quænam Familia (3); quod successionis Jus; quæ puerilis educatio;

(1) Pausan. Lib. III.
(2) Cap. XIII. §. VIII.
(3) Familia Regia post recuperatam a Doribus Peloponesum, reliquis posthabitis, fuit Heraclidarum, sive ex divina Herculis stirpe oriundorum. Ex Pausania autem discimus Regiam Laced. Familiam ante Heraclidas, triplicem subiisse mutationem. *Vide Nicol. Cragium de Rep. Lacedam.*

tio ; quæ corporis externa species. At Dissertatiunculæ quem proposui finem, ea nunc pertractare me prohibet. Satis itaque sit paucis modo monstrasse, præcipuum eumque antiquissimum Lacedæmoniorum Magistratum fuisse, cui Regium nomen dabatur; eumque haud fuisse τον ανυπευθυνον, nec potestate præditum infinita, ut reliqui Reges, qui Regnum pleno summoque Jure moderantur. Pluribus itaque voti compos lectores non distineo; quorum æquanimitas scribentis velim adaugeat industriam.

FINIS.